7
1-E
87

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
2 G
29

7-1-E-87

78
F
106

6

BARTHOLOMAEI FACII,

DE BELLO VENETO CLODIANO LIBER.

Collegij Rom. soc. Iesu cath. inscrip.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

LUGDUNI,

Apud Gaſparem à Portonariis.

M. D. LXVIII.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA ROMA

BARTHOLOMAEI FACII DE BELLO VENETO CLODIANO,

Ad Ioannem Iacobum Spinulam PROOEMIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INcidit mihi nuper in manus, Ioannes Iacobe ornatiſſime, dum reſupinarē libellos meos, bellum illud Venetū vulgatiſſimum, Clodianum appellatū: quod aliàs, prout in annalibus noſtris ſcriptū reperi, in Commētariolos quoſdam cōtuleram, eo animo, vt illud aliquando expolirem. In eoſdem quoque Commentariolos conieceram ſuperiora bella Veneta, quæ (vt arbitror) duo fuere, quibus ciui-

tas noſtra multas inſignes victorias de Venetis conſecuta eſt: quanquàm ſint tam breuiter, ac tam mutilatè literis mandata ab Annalium noſtrorũ ſcriptoribus, vt ne ipſe quidem Liuius ſi reuiuiſcat, aut Saluſtius ea illuſtrare ſatis poſsit. Nanq; in ijs, neq; conſiliorũ rationes, neque bellorũ apparatus, neq; præliorum ordines, in quibus maximè fortunæ varietas nos oblectat, neque per quos potiſsimum victoria parta ſit, neque locorũ deſcriptiones vllæ, neque interdum hoſtium duces cognoſci poſsint. Atque illa ſuperiora bella breuius etiam, atque conciſius, quàm hoc Clodianum, ab iis ſcripta ſunt: cum quidem in ijs multò diligentiores eò eſſe debuerint: quòd illa victoriis & fœlicitate plena ſunt: hoc autem extremum, etſi multis prioribus victoriis inclytum: tamen ad poſtremum Reip. noſtræ calamitoſum fuit. Cæterùm quoniam ea calamitas fortunæ magis,

quàm

quàm virtuti Venetorum adſcribi poteſt, hoc ipſum pro viribus exornare conſtitui, ac nomini tuo dedicare, vt ſi quid gratiæ inerit ſcriptis meis per me, vel poſteris notus clarusq́ue fias: atque vt apud omnes amorem noſtrum teſtatum relinquam. Et niſi illa ſuperiora neſcio quomodo è libellis meis excidiſſent, ea quoque cum hoc ipſo celebrare ſtuduiſſem: quod aliquando fortaſſe faciam, ſi ea ad me miſeris: niſi quis alius me doctior hunc mihi, quod velim, laborē præripuerit. Ego enim ſic patriæ afficior, ſic eius gloriæ faueo, vt in ea ornanda, atque excolenda, omnia mea ſtudia libentiſsimè cōferam. Id me mouit, vt hoc bellum tibi potiſsimùm dicarem: quoniam me ſæpe per literas tuas docuiſti, cupere te vt aliquid hiſtoriarum mearum ad te mitterem: quas quoniam mittere non licet, hoc quod licet, mittere decreui. Hoc enim bellum legens, genus dicendi noſtrū in hi-

ſtoria cognoſces: quanquàm vereor ne tu maius aliquid à me expectes ingenti opinione, quàm cõcepiſſe de ſcriptis meis viſus es ex epiſtolis tuis. Sed neque res noſtræ cum rebus Romanis, neque eloquẽtia mea cum illorum præſtantiſsimorũ hominum eloquentia conferenda eſt. Quanquam ſanè ipſa rerum magnitudo grandiloquentiam plerunque efficit: feci ego quod potui. Atque vtinam multi ſint è noſtris, qui me hac laude ſuperare contendant: ego enim me vinci (tantus eſt patriæ amor) facilè patior. Si quid autem erratum in rebus fuerit, nõ ego, ſed annalium noſtrorum ſcriptores culpandi erunt: quos ſecutus ſum: aliquibus tamen paucis correptis, atque immutatis, quæ quantum indagare potui, nec vera, nec veriſimilia viſa ſunt. Sed iis omiſsis ad hiſtoriam deueniamus.

B ART

BARTHOLOMAEI FACII DE BELLO Clodiano Liber.

BElli Veneti Clodiani rerum geſtarũ magnitudine, & fortunæ varietate memorabilis, hinc ortũ accepimus: Calcianus Græcorum Imperator Andronicũ, ac Manuelem ex ſe genuit: Andronicum maiorem natu, incertum qua de cauſa, regni exortem fecit: Manuelem regni ſucceſſorem inſtituit. Eo mortuo de regni poſſeſſione inter fratres exorta contentio eſt: Andronicus prærogatiuam ætatis, ac ius ſucceſſionis: Manuel paternũ teſtamentũ præ-

tendebat. Cùm diſſiderent, cõtrouer ſiam dirimere armis ſtatuunt, exter na vterque auxilia parare. Manuel cum Venetis, Andronicus cum Genuenſibus amicitiã, & fœdus iunxit. Tenedos inſula olim celebris, nunc deſerta, imperij paterni erat: quã vt beneficio quos ſibi adſciuerant, obli garent, Andronicus Genuenſibus, Manuel Venetis polliciti ſunt. Fuerat quidem Caloiano ſummà cum Genuenſibus amicitia, ex eo cæptà, quòd cùm olim Catocoſmi Principis, qui de imperio cõtendebat: bello vexaretur, regnóque pulſus foret, Franciſci Gatiluſij Genuenſis viri fortis opera in regnum reſtitutus eſt: cuius quidem meriti gratia illi ſororem in matrimoniũ, ac Lesbon inſulam, quam Mitilènas vocant, dotis nomine tradidit, ac pòſt perpetùo vitæ tenore Genuenſes omni officio

profec

proſecutus:cuius veſtigia Andronicus ſecutus, Genuēſium amicitiam perſanctè coluit, fraternóque bello ſibi quopiam beneficio confirmandam cenſuit. At Veneti, ne Tenedos manibus elaberetur, quæ inſula Helleſponti fauces fermè claudit, Manueli opem polliciti, ſubitò miſere, qui arce præſidio firmata inſulam occuparent. Quod vbi Genuã perlatum eſt, indignãtibus omnibus inſulam tam opportunè ſitam, & ſibi iuſtè ab eo traditam, qui maior natu iure regnum depoſceret, ſibi ademptam eſſe, bellum aduerſus Venetos extemplò ſuſcipiendum decernunt. Mittere tamen legatos priùs quàm arma mouerentur, placuit: qui ſcirēt an cedere inſulæ poſſeſſionē voluntate ſua vellent. Qui profecti, atque in Senatum introducti, in hunc ferè modum locuti ſunt:

Miramur, Veneti, vos adeò abuti amicitia noſtra, vt quam nobis datam ab Andronico Imperatore inſulam ſciatis, præſidio in arcem inducto, occupaueritis. Si de iure diſceptandum erit, quod haud quaquam recuſamus, non erit profectò, vt arbitramur, quiſquam tam imperitus humani iuris, quin eam nobis reſtituendam cenſeat. Andronicus Caloiani filius maior natu, ad quem naturali iure paternum regnum pertinet, nobis hanc inſulam dedit: vobis Manuel minor natu frater, qui nihil eorum, quæ paterni regni ſunt, præter fratris voluntatem tradere cuiquam poteſt. Vter igitur dare potuit? an is, qui in fratrem contumax, impia arma ſuſcepit, aut is qui patris ſucceſſor ipſo iure regnare debet? Animaduertite quàm turpe vobis ſit, dum ob immoderatā domi-

nandi

nandi cupiditatem, Manuelem tueri vultis, pro eo iniuſta arma ſuſcipere aduerſus illum, cui regnum omniũ cõſenſu ipſo iure debetur. Multo ſanè æquius fuerat, vel ei, qui iuſtè regnum tenet, opem ferre, vel diſsidentes de regno fratres ad pacem, cõcordiamq́ue reuocare: quàm pacem, & amicitiam noſtram labefactare: quę quidem per nos ſtabilis, firmaq́ue erit, quandiu iniuria noſtra abſtinueritis: quam nos perferre, nec poſſe, nec conſueſſe iam ſatis experti eſtis.

Aut igitur reuocato præſidio inſulam reddite, aut ſcitote vos ea pace noſtra frui non poſſe.

Ad ea Veneti: Nulla nobis vobiſcum Genuenſes, de inſula Tenedo diſceptatio eſt. Si æquum cenſetis eam vobis reſtitui, quòd illa vobis ab Andronico data ſit, cùm eam nõ teneret: & nos non iniquũ exiſtima-

mus

mus eandem retinere, quã nobis ille dederit, in cuius manu erat: quique eã nobis iuſtè dare potuit. An ignoratis Andronico à patre iure ſucceſſionis orbato, quòd ei ob contumaciam, & flagitia inuiſus eſſet, Manuelem regni ſucceſſorem inſtitutum? Nec nunc nobis Græcorũ, aut gentium iura quærenda ſunt, poſsítne minor natu frater, maiore viuo regnare: ſed quid pater iuſſerit, hæc ipſorum fratrum quæſtio fuerit. Nobis natura & conſuetudo dedit, ne eos, qui oppreſſi ad opem noſtram confugiant, deſeramus: vt ſciant exteræ gentes, ſibi in nobis certum ſalutis profugiũ eſſe: quin etiam hoc natura ipſa mortalibus præſcribit, vti minoribus natu, & imbecilliori-bus, ſi modò poſsimus, opitulemur. Nos inſulã à poſſeſſore accepimus, nihil quod in manu veſtra eſſet, abſtulimus:

ſtulimus:neque enim vllũ inde præſidium veſtrum eiecimus: & vos ſi inſulam teneretis, quod vobis ſors dediſſet, id veſtrum eſſe pateremur: idque paci, & amicitiæ, quæ nobis vobiſcum eſt, daremus. Quod ad ſummam rei attinet, non placet inſulam reddere. Vos ſi aliter animati eſtis, vt libet, decernite.

Ita re infecta legati Genuam reuerſi ſunt. Poſtquam Genuenſes ex legatis cognouere, Venetos nolle inſula excedere, bellum extemplò cunctorum ordinũ conſenſu ſuſcipiunt: ac primùm triremium decem claſſem comparant, quæ interim dum maior claſſis paretur, Tenedon petat: ſi fortè præſidium ex arce pelli poſſit, Aruntẽ Strupam claſſi præficiunt. Fuit hic annus ab ortu Chriſti Dei ſeptuageſimus ſeptimus, & triceteſimus ſupra milleſimum.

Parata

Parata claſſe, armis & commeatu impoſito, Aruns ſecundã maris tem peſtatem nactus, è portu ſoluit: mul táque in curſu Tenedon petens, hoſtibus detrimẽta intulit, nauibus plc riſque eorũ captis, incenſiſque. Mare per id tempus Genuenſibus liberum erat, nõdum ſatis ad bellum inſtructis hoſtibus. Profectus ad inſulam cùm fruſtra arcis oppugnatio tentari videretur, quòd erat pręſidio valido firmata, prælio abſtinendum cenſuit: mutatóque cõſilio Ægeum mare cum claſſe circuit, inſulas, quæ Venetis parebant, cõmercio & commeatu prohibiturus. Veneti de claſſis ſubita profectione certiores facti, & ipſi extemplò decreta claſſe mittunt, qui Ligurum oras vexent: ſi fortè hoſtes, metu rerum ſuarum inde retrahi poſſent. Eo anno nihil memorabile geſtum eſt, ex quo exiſtima

ſtimauerim ſub anni exitū bellum inchoatū eſſe: neque enim Venetorum claſſem vllam eo anno in Liguſticum ſinum traieciſſe legimus. Eo qui ſecutus eſt, anno Genuēſes cùm accepiſſent claſſem à Venetis augeri, triremes decem claſſi adiiciunt, eique Ludouicum Fliſcum præponunt. Iam enim fama erat, hoſtilem claſſem paratā, atque inſtructam eſſe: ſed quorſum profectura eſſet, incompertū erat. Alij aduerſus Aruntem Strupam in Aegeum, alij in Liguſticum mare profecturam putabant. Brutiorū autē oram legenti Ludouico hoſtilis claſſis Liguſticū petens, improuiſo obuiam facta eſt. Venetus nauium numero fretus, illicò arma expediri iubet. Ludouicus, etſi impar erat, & repētinus hoſtium occurſus, non nihil ſuorum animos turbauerat: tamen neceſſitudine adductus,

ductus,& ipſe ſuos ad præliũ extemplò expediri iubet, & ad confirmandos eorum animos meminiſſe monet, quibus cum ſibi pugnãdum ſit, eos eſſe, quos ſuperiore bello ſæpius fuderint, de quibus multas præclaras victorias,ac ſpecioſos triumphos reportauerunt: quos denique plures ipſi pauciores nonnunquã in fugam verterunt. Aduerſus plures rem gerereglorioſum eſſe, fortibus fortunam in prælio fauere conſueſſe. Venetus item non ſegnius ſuos hortabatur, victoriam in manu eſſe,ſi viri ſint,quòd hoſtes ſublata fugiendi facultate, claſſe quoq; infirmiores ſint. Si naues hoſtium circumſiſtant, vix primum impetum laturas.Claſſibus propioribus factis, Ludouicus cum triremibus quinque ante alias longe euectus, initium pugnandi fecit. Ea primùm ordinis perturbatione, Veneti

neti multo alacriores in pugnã fiũt, exiſtimantes, id quod exitus rei docuit, hoſtes priuſquam cęteræ ſucurrerent, ſuperari poſſe. Temerarium conſiliũ ſubita clades ſecuta eſt: plures hoſtium naues quamprimũ circumſiſtunt. Ludouicus vno tantùm modo errata ſua corrigi poſſe arbitratus, ſi nullum periculum metuãt, ſuos rurſus pro tempore hortatur. Tum omnes veluti deſperata ſalute prælium ineũt, magna cędes vtrinq; æditur, his pro ſalute, illis pro gloria pugnantibus. Mox reliquas Veneti petũt, quæ cum ſuos iam victos putarent, in fugam verſæ ſaluti conſulunt: ex quibus vna fugiẽdi ſtudio cum in ſcopulum incidiſſet, demerſa eſt, reliquę virtute remigum elapſæ. In eo prælio triremes quinque plenæ, in queis Ludouicus, ab hoſtibus captæ. Hac clade cognita Genuenſes

de trāſmarinis oppidis ſolicitudo ingens cæpit, incertum quò ſe hoſtium claſſis poſt adeptā victoriā vertiſſet: maximè verò de Famaguſta Cypri vrbe celeberrima anxij erant, ne aut in Cyprij Regis, cuius regno adēpta fuerat, aut in hoſtiū poteſtatē aliquo modo perueniret. Hoc vno oppido Genuenſes Ianū Cypriorū Regem (qui Genuæ natus eſt) in patrium regnum reſtitutū, cùm totius prope Inſulæ potirentur, multauerant, ciues ſuos interēptos ſatis vltos arbitrati. erat hęc regū ſedes, ſitus opportunitate, atq; ædificiis omniū Inſulę vrbiū, haud dubiè prima, cæterùm peſtilēs propter paludes circūiectas, & ob id ciuibus infrequēs, ac propè exhauſta. Itaq; Genuenſes triremē vnā ex his, quæ cladi ſuperfuerant, eò confeſtim cū præſidio mittūt, tribuſq; reliquis ſupplemento impoſito, Petrū

Pic

Picconum, virum ſtrenuum ad cæteram claſſem iubent cōtendere: maritimisq́; oppidis, quæ defendi poſſe videbantur, præſidio firmatis, ſi quā minus tuta viderentur, incolas in montana cōcedere. Interim Veneti ipſo ſucceſſu alacriores facti, cum claſſe in Liguſticum proficiſcuntur: omnémque maritimā oram minoribus nauibus infeſtam faciūt: eratq́; ob eam rem Genuenſibus difficilis commeatuum in oppida maritina importatio: nam niſi nauibus magnitudine inſignibus quidquā importari nō poterat. At Petrus tribus iis nauibus lōgis, quas dixi, acceptis, in Adriaticum profectus, nihil ibi quietum hoſtibus relinquere, vno prope tēpore omnibus locis videri adeſſe, multisq́ue incommodis hoſti illatis, magnam breui laudem promeruit. Inter hæc Veneti cum Ber-

naboue Mediolanenſium principe amicitiam ac ſocietatẽ ineunt:gnari inde hoſtes percõmodè vexari poſſe, quòd illius ager cũ agroGenuenſi continuaretur. Putabant enim fore ne Genuenſes propinquo metu claſſem augerent, quòd,quam iuuentutem in claſſe miſſuri eſſent, pro rerũ domeſticarum tutela domi contineri neceſſarium eſſet: cõmeatus quoque, qui ex Gallia Genuam importabantur, ſocietate facta ſublatum iri videbant, nec commeatus modò, ſed etiam commercia,quæ inter Genuenſes & Gallos magna,crebráque erant,ex quibus tum ad priuatos ciues, tum ad vrbana vectigalia ingẽs fructus accederet, qui fructus hoſtibus detractus in eorum Reip. vſum eſſet peruenturus. Ianũ quoque Cypri Regem, quem Genuenſibus infenſum ſciebant propter Famaguſtã ademp

ademptam,in ſocietatem adſciſcendum exiſtimarunt. Itaque miſſis legatis Regem facilè in ſentẽtiàm traxerunt. Quæ vbi Genuam nunciata ſunt, ingens cura, ac ſolicitudo nobilitatem ſimul ac plebem cepit. Nam cùm id bellũ per ſe periculoſum videretur, Venetis ſuis opibus bellum gerentibus,longè id grauius forè exiſtimabant, iiſdem tantis ſocietatibus ſubnixis. Bernaboue præſertim, qui ceruici imminebat,& belli cauſas expetebat.videbãt annonæ, cæterarúmq; rerũ ex Gallia Ciſalpina exportãdarum facultatem ſibi ereptam eſſe:animaduertebant commercia,in quibus ſibi tum priuatim, tum publicè permagna vtilitas inerat,ſublata:nam magnã partẽ eorum quæ Genuenſes ex trãſmarinis regionibus conuehũt,Galli coẽmũt. Terrebat imminens tergo opulẽtus
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

hoſtis, cui facile erat quotidie cum exercitu eorum finespopulari,atque vexare, nec ſatis ſcire quonam modo maritimo ſimul,& terreſtri bello ſuppeditare poſſent: quoniam quos vſus claſſis exigeret, hos domi manere metus à terra cogeret. Iis anxij curis, & ipſi de externis auxiliis cogitare cæperunt, & quos ſciebant Venetis infenſos eſſe, horum maximè amicitiam ac ſocietatem ſibi adſciſcendam putauerunt. Per id tempus Henricus Romanorum Imperator propter Illyricũ Imperio ſuo ademptum, grauescum Venetis inimicitias gerebat: nec leuiores Patriarcha Aquileienſis, cui Foroiuliēſem prouinciam ademerant. Ad hæc Franciſcus Carraria princeps Patauinorum, eorundem metu ſeſe liberare cupiebat. Itaq; ad eos legati extemplò decreti ſunt: ad Henricum profecti,

fecti, ita locuti ſunt,

Ni tibi Imperator, ſatis cognitam ſciremus Venetorũ inſolentiam, atque auaritiã, longiore oratione, atq; alia, quàm inſtituerimus, hodie apud te vteremur. Sed noſti qua temeritate Illyricũ, quod tui Imperij eſt, iam pridem occupauerint: qua deinde contumacia in Imperatores Rom. fuerint, ſoli ex omnibus Italiæ populis te ſuperiorem nec habere, neque pati poſſunt. Gẽtem ſe liberam, neque Imperatori, neque Pontifici Max. obnoxiam vulgò gloriantur. Sanctiſſimas duodecim tabularum leges, quas vniuerſa Europa veneratur, & colit, ita contemnunt, vt iis in Reip. ſuę adminiſtratione minimè vtendum putent, quin etiam eò vſq; ſibi arrogauere, vt mare Adriaticum mutato nomine Venetum appellẽt, nec triremem, biremẽmve vllam in-

iuſſu ſuo id intrare patiuntur. Quòd verò ſint Imperij auidi, ex eo ſatis patere arbitramur: quòd cum nihil tenerent, præter exiguum paluſtre ſolum, in quo nati ſunt, & Illyrici oras, & Euboeam, & Cretam, & cæteras Inſulas Aegei maris, omittamus, nec laceſſiti, ſed laceſsentes ditionis ſuę fecerint. Gens maximè temeraria omnia ſui iuris, ſuiq; arbitrij facit, pacem bellumq; ſe dare quibus vellet, ęquum cenſet. Sed quid vetera commemoramus? recens exemplum in manu eſt. Tenedon Inſulam ad Helleſpontum ſitam, quā ſcirent ab Andronico Imperatore Græco ſocio, & amico traditā, arce pręſidio firmata, occupauere: neque pudet præter Ius gentium, & vſitatum regnandi morem pro minore natu fratre contra, ipſum Andronicum maiorem natu, cui Regnū debetur, arma ſuſcipere:

cipere:tantũ ſe præſtare cæteris gentibus putant, vt nullam in terris maieſtatem ſatis dignam exiſtiment,cui cedant, aut cuius dicto obtemperẽt. Si tibi Imperator, in animo eſt non pati diutius eorum iniurias,& detractum imperio tuo Illyricum in poteſtatem tuam redigere expetis, nũc tibi opportunitas oblata eſt. nunquã tibi maiorem eius rei facultatem dij dabũt.Nam ſi tu à terra cum copiis, nos à mari cũ claſſe incubuerimus, atque in belli ſocietatem coierimus: non dubitamus fore, quin eos breui in ſummum rerum diſcrimen adducamus. Si te maieſtas Imperij,ſi maiorum dignitas mouet, eorum profectò iniurias diutius non feres.Qua propter te oramus,vt aduerſus com munes inimicos cõmuni animo bellum gerere in animũ inducas. Ad ea Imperator:Nõ erat mihi ignota Ge-

nuenſes, Venetorum arrogantia, ac libido dominandi:& ſi mihi per Imperij negotia licuiſſet in Italiã tranſire,iam pridẽ, vt puto, iis oſtẽdiſſem, quòd iniquo animo eorum iniurias, & cõtumelias tulerim. Verùm enimuero Turcarũ metus, quibus cum nobis ſempiternum bellum eſt, non ſinit me ex hac prouincia quoquã decedere. Id enim ſemper conſilium meum fuit, cõmunes potius Christianæ gentis hoſtes nobis infeſtiſsimos, quàm priuatas inimicitias perſequi. Nec mihi porrò mira, aut noua ſunt, quæ de intercepta ab iis Tenedo Inſula, quęq; de armis ſumptis. Genus hominum in ambitionẽ pręceps, iuſtè, an ſecus agat, nihil penſi habet: omnia ſibi licere putant, quæ in alios ipſi ſtatuant: quoquo modo Reip. opes augere ſtudẽt. Sed ſi nullum crimen apud Deum grauius in-

ſolentia

ſolentia eſt(quod doctores noſtri affirmant) ſpero eos breui cõtumaciæ ſuæ pœnas daturos. Ego cùm primũ anni tempus patietur, aut in Italiam traiiciam, aut Ducẽ cum copiis mittam, qui à terra bellũ inferat. Cętera vobis curæ fuerint.

Cum hoc reſpõſo Genuenſes reuerſi, ingenti ſpe ciuitatem repleuerunt. Qui ad Patriarcham, quiq; ad Franciſcum Carrariam miſſi, rebus item ex ſententia confectis redierũt. Quibus auxiliis Genuẽſes freti maiore animo bellũ perſequi cæperunt, quóque liberius dempto domi metu mitti iuuentus in claſſem poſſet, non paruam proſcriptorum manum qui quotidianis latrociniis agros infeſtabãt, domum reuertẽdi poteſtas facta eſt, qui poſteà magno Reip. vſui fuere. Per id tẽpus Carreteni reguli Liguſticę orę incolę inter Ligures clari,

iis, qui Genuenſem Rempub. guber nabant, infenſi erant, ſeq; cum Bernaboue cõiunxerant: nanq; ea tempeſtate Dominicus Fregoſus, homo aduerſæ factionis Genuẽſis Reipub. præerat. Hi opportunitatem nacti, Naulum & Albingaunum oppida, ac præterea Caſtrum Francum immiſſo præſidio, occupauere. Erat tum fortè Albingauni Prætor Bartholomæus Vicecomes Mediolanenſis, ob inuidiam domo pulſus, Dominici beneficio in ciuitatẽ adſcitus. Hic primò ei charus, cùm poſteà in eius odium incidiſſet, deſideratur. Flıſco (nam ea gens tum Fregoſis aduerſa erat) vrbem prodidit, quam cùm ille tueri non poſſet, quòd erat à finibus ſuis remotior, eam in Regulorum poteſtatem tradidit. De proditore haud multo pòſt, cùm eſſet comprehenſus, ſumptum

ptum ſupplicium eſt. Poſt hæc Genuenſes duas & viginti roſtratas quamprimum ædificandas curauere:cúmque eam cladem culpa Ducis acceptam ſcirent, circa Imperatorem deligendum maximè immorati:cúmque res ſuperioribus bellis contra eoſdē hoſtes ab ſe geſtas memoria retinerent, genúsque Auriæ homines aduerſus Venetos in primis proſperè rem geſſiſſe meminiſſent, Lambam pręſertim ac Paganū: eámque gētem Venetis fatalem eſſe, vulgò increbuiſſet, in eam familiam omnium ciuium oculis cōuerſis, Lucianum Auriam impigrū virum, claſſis ducem decernūt. Eodem anno Dominicus Fregoſus aduerſariorum conſpiratione Genuæ principatu amotus eſt: qui quo ſtatū eius labefactarent, huiuſmodi rumores vanos diſſeminauerant: miſiſſe Ber-

nabouem ad oppida trans Apenni-num ſita, magnum equeſtrium copiarum numerum, ad vrbem agróſque vexãdos: veniſſe ad Venerij portum complures Venetorum triremes, quæ oram maritimam incolentibus nauigandi, & cõmeatuum poteſtatem ademptur ę eſſent. Quóque huiuſmodi cõmentis fides haberetur, literis confictis nuntios ſubornant, qui hæc ad Dominicum perferant: atque hæc omnia, vt iis liceret arma comparare: quæ alioquin coemere ſine coniurationis ſuſpicione fas non erat. Iis falſis rumoribus deceptus Dominicus, armorum emendorum omnibus poteſtatem facit. Hac opportunitate vſi inimici, palatium petunt, atque incautum opprimunt, Nicolao Goarco Duce facto. In tantis motibus Antoniotus Adurnus, amicis fretus, principatũ

inuadere conatus eſt: Repub. amiſſa libertate, ad vnius imperium, ac poteſtatē iam redacta: nam prius præfectis ex nobilitate vtebatur: per quos mirum in modum & auctoritate, & opibus creuerat. Sed poſtquàm Antoniotus animaduertit Nicolaum apud ciues opibus valere, & gratia, fortunæ cedendum ratus, relicta vrbe, victori cōceſſit. Nicolaus iam ab initio principatus nobilitatem in honore habere, eáque maxime vti in adminiſtrāda Rep. diuiſis in æquas partes honoribus, quorum prius tertiam partem nobilitas ipſa capiebat: Guelfos quoque benignè habuit. Horum fauore ſubnixus dignitatem ſuam facilè tueri, Dominico ac Petro Fregoſis, ne quid aduerſus ſe molirentur, in cuſtodiam traditis. Cęterùm Petrus decepto cuſtode elapſus eſt. Poſt hæc Senatu

coacto

coacto principis poteſtate coarctata eſt:latiſq; nouis legibus publicę quietis cauſa omnes quicunque Fregoſæ gentes eſſent, ex vrbe, atq; agro pellendos cenſuit,graui pœna denũciata, ſi quis poſteà de iis reducendis ad Senatum retuliſſet:tanta cupiditate res agebatur per eos, qui Nicolao amici erant. Per id tempus Bernabos Venetorum opera Cypriorum Regem generum ſibi adſciuit,tradita ei in matrimonium filia, quam profectam Venetias, vt inde ad virũ iret, miro honore exceptam, datiſq; inſuper muneribus in gratiam patris, ac viri Veneti quatuordecim triremibus comparatis, in Cyprum deducendam curauerunt. Ingens tota Inſula lætitia, ludiq; ob eius aduentum æditi. Cùm eſſet in portu claſſis, Rex venit in ſpem Famaguſtam à ſe recipi poſſe,ſi claſſis ipſa eò cõfeſtim

mitter

mitteretur, arbitratus prędidiũ quod intus erat, improuiſo opprimi poſſe. Communicato conſilio cũ Duce claſſis, triremes quinq; eò miſſæ: ipſe raptim delectibus pro tẽpore comparatis, terreſtri, itinere eòdem profectus eſt. Cæterùm id fruſtrà fuit, oppidanis de eius aduentu certioribus factis. Vt primùm roſtratę apparuere, regiiq́; appropinquare cæperunt, oppidani armati ſubitò in muros proſiliunt, longeq́; hoſtes lapidibus, ac telis ſummouẽt. Ita irrito incepto inde diſceſſum.

Hoc anno pacem cum Cattelanis à Genuenſibus factam inuenio, ex quo mirari licet ſcriptorum negligentiam, qui de pace ſcripſerunt, de ſocietate eorum cum Venetis obticuerunt. Per hos dies Aruns Strupa, quem cum decem roſtratis in Aegeo in initio belli profectũ diximus, cùm

Genuā reuertiſſet, Lucianus Auria cum decem ac ſeptem triremibus in Adriaticum mare cōtendit, inde Adriam profectus eſt, ciuitatem amicam, & diuturno commercio cōiunctam, quæ per id temporis ad Henricum Imperatorem defecerat, à cuius imperio ſe diſtractos dolebant, cùm prius ſub Imperatorum tutela eſſet, à qua amicè, ac benignè receptus eſt: deinde tribus roſtratis queîs Petrum Piconū præfuiſſe diximus, claſſi additis, duarū & viginti triremiū claſſem effecit, ſinumq́; Adriaticū circūuectus, ingentē hoſti terrorem infert, nauibus pleriſque captis, maritimiſq́ue oppidis commeatu & cōmercio prohibitis. Inter hæc Imperator magnis copiis comparatis, in Foroiulienſem agrum, Frāciſcus Carraria cum equitatu ac delectu in Taruiſanum profecti ſunt, omniq́ue cura

cura agro depopulato, Taruiſium à Franciſco obſideri cęptũ. Oppidani primo eius aduẽtu freti auxilio propinquo aliquandiu reſtiterunt: ſed vbi in longum trahi obſidionem vident, nec auxilij copiam fieri (nã Veneti per id tempus haud pares hoſtibus copiis erãt) acccedẽte inopia rei frumentariæ Imperatori, ſi poteſtas fieret dedituros ſeſe dixerunt: iiq; patiente Franciſco ab Imperatore recepti ſunt. Quibus cognitis, Veneti, quæ in Illyrico, ac Foroiulienſi oppida tenebãt, pro deſperatis, ac perditis habere cæperũt. Sed maritimarum rerũ longe maior iis cura erat, quòd inde pecuniã in belli ſumptus cõparabant, qui, nauigatione adempta, iis intolerabiles erant Itaque viginti triremium claſſe effecta, Victorem Piſanum ei præficiunt: atque vt ea claſſis pugnatorum numero ho-

ſtilem ſuperaret, quingentos milites præter nauales ſocios in eam imponunt. Cum hac Victor Pollam primùm petit, oppidanos complures in eam aſſumit, ſiue vti eſſet contra hoſtes munitior, ſiue quòd oppidanorum fides Venetis ſuſpecta foret: cuius aduentu Pollani per nauim ſpeculatoriã cognito, Lucianus eôdem cum claſſe contendit, eo conſilio, vt faceret hoſti pugnandi poteſtatem. Cùm in cõſpectũ Pollæ perueniſſet, confeſtim Victor nauales ſocios in claſſem cogi, & ad præliũ parari imperat, iiſq; breui oratione confirmatis aduerſus hoſtilem claſſem proficiſcitur. Lucianus vbi venientem videt, lentius remos trahi, ne defatigatos remiges præliũ exciperet; armaq; expediri iubet, ſuóſque ſatis per ſe ad pugnam paratos breui oratione accendit: magnam verò inde ſpẽ con-

ccpit,

cepit, quòd hoſtes ab oppido claſſem amouiſſent. Concurſum eſt ingenti animo, & multi quidẽ Venetorum, antequam coirent claſſes, procul ſagittis icti ceciderunt: pòſt vbi propiores facti, ludificãdi poteſtate erepta, acrius multò prælium, & aliquandiu anceps fuit, & modò hi, modò illi variante fortuna præualebant: ſed Venetorum plures baliſtis percuſſi cadebãt. Quod vbi Lucianus animaduertit, cohortari ſuos vehementius cępit, victos iam hoſtes, parumq́; negocij ad victoriam reſtare.

Ea vox audita veluti ſtimulum quendam pugnantibus addidit: & quaſi tum primùm pugnare inciperent, in hoſtes irruunt. Sed cum Lucianus ad victoriæ vocem caput galea nudaſſet, hoſtili iaculo traiectus repentè cecidit. Hoc graui caſu, etſi erant conſternati, qui circunſtabant,

eum continuò inde ablatũ cõdunt, aliumq́; eius armis ac paludamento indutum, ibidem locãt: ne mors eius cognita aut ſuos ſegniores, aut hoſtes acriores redderet: nec Victor quoque ſuis deerat. Cæterùm iam omnis cohortatio inanis erat, magna parte nauium amiſſa· ad poſtremum conſpicatus nullam ſpem ſalutis in armis ſupereſſe, nauibus quindecim amiſſis, in fugam verſus, nõ prius fugiendi finem fecit, quàm Venetias peruenit.

Hac victoria Genuam perlata, vniuerſam ciuitatem ingẽs lætitia inuaſit: ſed vbi de morte Imperatoris auditum, rurſus in dolorem conuerſa eſt: tantum virum tantis rebus geſtis immaturo tempore Reip. ereptum, conſilio ne, an animo melior eſſet, dubium. Magni ei à Senatu honores decreti, annua ſupplicatio ad

Ioannis

Ioannis Euangeliſtæ aram, quæ in Georgij templo eſt, filiis poſteriſq; annua è publico ſalaria. Manebat adhuc aliqua ea tempeſtate libertatis ſpecies, & Reip. cura, quæ nunc nulla eſt, ciuitate in ambitionem, auaritiam, luxuriámque præcipiti. Tunc iis, qui pro Rep. occubuerant, præmia decernere mos erat. De virtute, de Reip. dignitate, de Imperij amplificatione inter ciues certamen erat, patriæ gloriam parare, liberalitate vti, parcè viuere, pro Reip. opibus priuata negligere, communi ſaluti conſulere: harum rerum gratià nullum diſcrimen euitare. At nunc contrà omnia, eáque non nũc nuper mala, ſed iampridem orta, admiratione diuitiarum, ac potentiæ cupidine animis à vero rectóque diſtractis. Nam pro Reip. amore ambitio, pro liberalitate auaritia, pro parci-

monia luxuria, ciuitatem inuaſere.

Claſſe præfecto, vt dixi, orbata, Genuenſes Petrum Auriam in demortui locum ſtatuerũt: íſque confeſtim triremi vna vectus ad claſſem, in Adriaticum ſeſe contulit. Victore autem cum reliquiis cladis acceptæ Venetias reuerſo, Veneti in graues curas inciderũt: nauigationem enim ſibi ſublatam animaduertebant, cuius rei cauſa vectigalia publica, fidemq́; multorũ ciuiũ concidere neceſſe erat. Itaq; ad Bernabouem mittendum quamprimum cenſuerunt, qui illum rogarẽt, vti exercitum, qui hoſtes terra laceſſeret, in Genuẽſem agrũ mitteret, vt dum eo metu compulſi hoſtes, ex Adriatico ad ſua tutanda claſſem reuocare cogerentur, ipſi interim de reparanda claſſe cogitarent. Profectiq́; legati facilè Bernabouẽ mouerunt: ſed non erat tũc

in

in Italia is equitum numerus, quem hac tẽpeſtate ipſi vidimus. magnaq́; eorum pars ex Alemania petebatur. Nam longa pax, quæ ſub quietis principibus fuerat, armorum ſtudia ad agrorum culturas, ad mercaturas obeundas trãſtulerat. Noſtra autem ætas in eos principes incidit, qui dominandi cupiditate belli cõſilia paci antepoſuerunt. Ex quo effectum eſt, vt relicta agricultione, ac mercatura, permulti ad rem militarem ſeſe contulerint. Eo tempore aliquot copiarum Duces ſocietate intra ſe contracta per Italiam excurrentes, ciuitates ac regulos imbecilliores pacem ſuã redimere cogebant, omnémque Italiam territabant. Ea verò manus Stellæ cognomento appellabatur. Hos igitur Bernabos conducendos curauit, iíque profecti in Genuéſem agrum, ac Porciferę vallem ingreſſi,

omnia ſuburbana vna prope excurſione populati ſunt, multis ciuibus qui id anni tempus ruri agebant, primo aduentu captis. Fuit enim adeò repentinus eorum aduentus, vt propè prius circunſpecti ſint, quàm de eorum profectione nuntius venerit. Fugiētes paſſim in vrbe viri cũ coniugibus, ac liberis, ſeruiſq́; magnum ciuitati terrorē iniecere. Cæterùm, vbi ſe paulum collegerunt, vigilibus per muros diſpoſitis, hoſtibus obuiā exire non dubitabant: ſed Nicolaus, quem dixi, ciuitatis princeps, veritus ne aduerſarij ſumptis per occaſionē armis, ſibi principatum auferrent, præter eos duntaxat, quibus fidebat, Iuuentutem armari vetuit, certámq; argenti vim hoſtibus pactus, vrbem, atque agros externo bello, ſeq́ue inteſtina ſeditione liberauit. Interea Veneti triremes nouem miſere, quæ

Genuenſium oras vexarent: quæ ad Tirum, perbreuẽ Inſulam, profectæ proximam oppido, quod portum Venerij vocant, Inſulam alteram aliquanto breuiorem vitibus cõſitam, in qua Venerij tẽplum eſt, quod oppido nomen dedit, primo aduentu inuaſere, ſublatíſque Martyrũ quorundam reliquiis, quæ in eo templo inerant, maritima hoſtium oppida populando, circũuectæ ſunt. Quod vbi Genuæ compertum eſt, primùm per ignes, qui in promontoriis excitabãtur (per quos quidem quot hoſtium naues intra Coruum, & Monacum promõtoria intraſſent, vnius fermè horæ ſpatio ſciri poterat: quã conſuetudinẽ adhuc retinent) deinde per nũtios, triremes nouem confeſtim armauere. Id enim iis eſt ſatius viſum, quàm claſſis partẽ ex Adriatico accerſere: quas poſtquã Veneti

paratas

paratas,atq; inſtructas ſenſere(erant enim & numero, & robore hominũ egregiè inſtructæ) toto infero mari ſtatim conceſſerunt. Non inuentis hoſtibus Genuenſium claſſis ad Petrum Auriam in Adriaticum contēdit: quibus nauibus auctus, Petrus omnem prorſus nauigandi poteſtatē hoſti eripuit. Triginta hæ triremes erant, præter onerarias, quibus ad vehendos cõmeatus vtebantur: nam Venetę roſtratę,quas è Liguſtico mari arrepta fuga abiiſſe diximus, ad Inſulas,quas in Aegeo tenebant,Carolo Zeno duce,ſe receperunt. Non erit huic loco inconueniens,quãdoquidem de obſidione vrbis Venetæ verba facturi ſumus, de eius quoque ſitu,ac ciuitatis moribus pauca quędam diſſerere.

Stagna ſunt ampliſſima,ſiue hæc lacunas, ſiue paludes appellare quis malit,

malit, è Philiſtene foſſa, quam alij Tartarum vocant, ex vndatione & Atheſis ac Togiſoni fluminum curſu naſcentia, per quæ etiam auctus imbribus Padus effundi cõſueuerat: multæ enim idcirco foſſæ productæ fuerãt, vtpote Carbonariꝫ foſſiones, ac foſſa Clodia, à qua oppidum Clodia, vt puto, nomen accepit: quæ interiacent terrꝫ aquarum abundantia propter humilitatem obruũtur, nec niſi recedente æſtu apparent. In hoc ſeu terræ, ſeu paludis ſpatio, qua parte eminentior eſt, ſitæ ſunt Venetiæ: fundamentis, ꝫdificio, magnitudine, ciuium frequentia, ac cætero ornatu celebres. Vicos habent tam aqua, quàm terra permeabiles, foſſa ingẽs mediam vrbem interluit, profundo alueo, & nauium capace, ac velut in oceano ſexta quaque hora, reciprocante æſtu: in quã cæteræ anguſtiores

res vrbis foſſæ illabentes, ac ſtagnantes circum, aquæ ſeſe in mare euoluunt, ac rurſus eodem ingerũt. Hęc vrbs à Patauinis, & ab iis, qui euerſo Altino profugi nouas ſibi ſedes quęrebant, quo tempore Athila ille teterrimus Chriſtianos inſectabatur, condita eſt. Sola Italicarum ciuitatum nullum vnquam dominum, vel domeſticum, vel externum ſibi imperare paſſa: cum tamen aliquot ciuitatis principes libertatem opprimere conati, ab iis interfecti fuerint. Augendi porrò imperij præter æquum, gens auida, belli cauſas ſæpe quæſiuit, ad Reip. decus, gloriamq́ue conſentiens, priuatis cõmodis publica ſemper antetulit. His moribus atque his artibus maximam Galliæ Ciſalpinæ partem imperio ſuo ſubegit. Ante hanc vrbem ad mille paſſus litus eſt Adriatici maris: & in eo ſitum

eſt

eſt Nicolai templum, quod Veneti eo tempore muro, ac foſſa communierant. Haud procul ab eo ſitę ſunt turres duæ, quæ maris oſtia ab vtraque litoris parte contingunt, quas prius valido præſidio firmauerant. Ponè templũ murus erat haud modicæ latitudinis, multis propugnaculis in eo excitatis, litoris ipſius longitudinem complectens, ne qua hoſtium vis ad templum oppugnandum trãſire poſſet. Petrus igitur quò magis hoſtes coarctaret: ſuadente Franciſco Carraria, qui ad mille viros ex délectibus è Patauio accerſierat: eò cum claſſe profectus eſt: expoſitisq́ue in terram naualibus copiis ſub ipſum murum, qui templo, vt dixi, oppoſitus erat, quamproxime caſtra mouit, atque oppugnare cæpit. Dura fuit aliquandiu oppugnatio iis qui in præſidio erant, ſumma

vi obſiſtentibus: ad poſtremum ſagittariorum multitudine, & crebris tormentorum ictibus nudato defenſoribus muro, Genuenſes traſcenderunt, eóque diſiecto templo potiti ſunt: cúmque turres, quibus ingreſſum claudi oſtendimus, oppugnare fruſtra tentaſſent: ad oppidum Clodiam cum claſſe profectus eſt, Franciſco ſecundum litus cum terreſtribus copiis iter faciente. Erat autem id oppidum cùm ſitu, tum præſidio permunitum. Cùm enim Veneti ne amitteretur, præſertim amiſſa claſſe, & nauigãdi poteſtate adempta, pertimeſcerent, eius tutelæ conductum militem impoſuerant. Caſtris poſitis, cùm Petrus ac Franciſcus de vniuerſa oppugnatione conſilium cepiſſent, ei rei diem conſtituerũt: quæ vbi aduenit, admota claſſe oppidum aggreſſi ſunt. Oppidani, ac præſidiarij

rij milites per varia oppidi loca, vbi vſus poſtulare videbatur, diſpoſiti, (nam domus pro mænibus erāt) hoſtium impetum fortiter tulere. Acre verò prælium aliquandiu fuit, Genuenſibus in oppidū inferre pedem adnitentibus, oppidani, quà hoſtes vehementius premere animaduertebant, eò continuò ſummiſſis auxiliis hoſtium conatus fruſtrabantur. Denique certamine in multā diem tracto, oppidani cum multos ſuorum periiſſe cernerent, animis fracti, nec iam amplius apparere audentes, tantum ex occulto irrita tela iaciebant. Quod vbi Petrus, ac Franciſcus animaduerterunt, feſſos pugnando, id quod erat, ſuſpicati, ſuos vti acrius inſtarent, atque vrgerent, vehementius hortari cæperunt: & iam à pluribus partibus oppidum ingreſſuri erant, ni oppidani ſaluti conſulēdum

arbitrati, traditis, qui ſuperfuerant de præſidio, militibus, deditionē feciſſent. Hic nuntius Venetias perlatus omnium iis præteritarum cladium memoriam renouauit. Repetebant animo Taruiſium amiſſum, claſséſque ab hoſtibus deletas: nec ſatis ſciebāt exhauſto ærario, quonam modo claſſem aliam inſtaurarent: Angebantur autē vehementer, quòd commeatuum importandorum facultatem ſibi ereptam videbant, nec ſpem vllam reliquā eſſe, pręterquam in Bernaboue: ſed eam, aut exiguā, aut certè non tantam vt obſidione liberati poſſent quā in dies grauiorem futuram ſuſpicabātur. Et quoniam Bernabouis auxilia ſera futura videbantur, primùm experiri libuit, an poſſent pacem aliquam, vel tolerabilem ab hoſte impetrare. Itaque accepta fide, Clodiā ad Petrum

legatos miſere, qui pacem peterent. Sunt verò qui affirmẽt, Venetos per legatos eoſdem albũ miſiſſe, in quo Genuẽſes, quid ſibi præſtari à Venetis vellẽt, cõſcriberent (in tãtam rerũ neceſſariarũ inopiam ſimul & deſperationẽ fortunarũ ſuarũ ac Reip. redacti fuerãt) híq; facta loquendi poteſtate, in hũc fere modũ locuti ſunt:

Ad fœlicitatis tuæ cumulum, Petre, ſi huius diei gloriam rectè animaduerteris, nihil profectò hoc amplius fortunam tibi conferre potuiſſe iudicabis, quàm quòd legati Veneti ad te ſuppliciter pacem petentes venireмus. Magnum quippe, & glorioſum tibi fuit claſſem noſtram delere, nóſque nauigatione & cõmeatu prohibere: ſed maius nimirũ eſt, erítque apud omnes, tum præſentes, tum poſteros, quòd pacem à te petierimus, quam ciuitas noſtra dare, nõ

accipere, ante hãc miſerrimam tempeſtatem conſueuit. Neque enim vlla gens, aut vllus Rex, ſupra ſeptingentos annos fuit, qui nobis petendæ pacis neceſſitatem impoſuerit. Itaque iſta tua fortuna meritò lætari potes, quæ tibi potiſſimùm hoc dederit, vt tu is exiſtas, cui hæc tãta gloria de ciuitate noſtra contigerit, quæ ſi æquus æſtimator fueris, profectò ingens tibi videbitur. Neque enim, vt ſcis, ciuitas noſtra inter inferiores Italiæ ciuitates numeratur: quæ Cretam, quæ Euboeam, quæ tot inſulas ſuo imperio ſubdidit. Sed hæc ipſa fortuna hoc certè mali affert: quòd victorem effert inſolentius, atque humanos caſus, qui innumerabiles, & varij ſunt, cogitare non ſinit: omnia ſibi proſpera, ac manſura promittit: & à quietis conſiliis blandiendo abſtrahit. Nõ libet afferre exempla eo-

rum,

rum,qui primo victores pace petenti hoſti negata:poſtea,variante fortuna,eandem ipſi ab eodem petere coacti ſunt:hæc enim tibi pro tua prudẽtia, ac rerũ vſu nota, & clara ſunt. Quapropter ea & tibi quoque timẽda eſt,ne huius glorioſi diei fructum ipſa immutata , aliquando tibi eripiat. Vide,ne tantum illi credas, vt eam tibi in iſto ſtatu permanſuram putes:tibíque ante oculos propone illos,qui ab ea eluſi,ac deleti ſunt. Pacem à te petimus, Veneti, quam abnuere non debes,ſi te patriæ tuæ ratio, atque vtilitas mouet. Nanque eam primùm belli ſumptibus , qui multiplices & inexhauſti ſunt,liberaueris. Tum illi quietem, quæ cuique bene inſtitutę ciuitati maximè optabilis eſſe debet,reddes. Tibi verò poſtremò æternum decus(vt antè diximus) hoc facto comparabis. Ad

hæc Petrus: Non ſum vſque adeò rerum humanarum inſcius, vt fortunæ poteſtatem, atque incõſtantiam ignorem: nec ſum adeò alienus ab humanitate, vt pacem petẽtibus dare abnuam: ſi modò eam vos, non qualem præterita, ſed qualem præſens fortuna veſtra vt accipiatis vobis ſuadet, ferre parati eſtis. Neque enim ignorare debetis, æquum eſſe pacis conditiones ab eo, vnde pax petitur, dici. Nec ita vobis preponenda eſt fortunæ mutatio, quod vos oratione veſtra facere animaduerti (qua ratione me ad dandam pacem compellere conati eſtis) vt in animũ inducatis, fortunæ potius mutationem expectare, quàm pacis leges, ſi quæ etiam fortaſſe duriores viderentur, ferre. Quòd ſi fortuna victores, vt dixiſtis, aliquando afflixit, multos etiam belli exitus proſperos dedit.

Etenim mihi facilius licet, cui ipſa ſe lætam exhibet, de ea bene ſperare, quàm vobis, quos in tantam calamitatem coniecit. Pacis verò conditiones ita ſum dicturus, vt eas Senatus noſtri iudicio comprobari velim. Poſt hęc, quę à Venetis fieri placeret pronuntiauit. Cæterùm ea poſtulata eiuſmodi fuere (quod euenire ſolet in rebus proſperis) vt ea legati ipſi vix æquis auribus ferre potuerunt: quæ poſteaquam Venetias pertulerunt, ſpretis conditionibus repudiata pax eſt. Ingenti nanque fremitu in Senatu ob indignationem orto, quaſcũque potius belli calamitates, quàm eiuſmodi conditiones ſubeundas eſſe, conclamarunt. Hac igitur ſpe deſtituti, omiſſa pacis mentione ad Bernabouem miſere, qui oraret, ne ſe ſocios, atque amicos in extremis rebus deſtitueret. Is itaque or-

ſus eſt. Eò redactæ ſunt fortunæ noſtræ(quod iam crebro hominum rumore ſatis ſcire potuiſti) vt niſi à te adiuuemur, non putemus, fortunā ipſam ſi velit, ſeruare nos poſſe. Anteà Taruiſium amiſeramus, modò Clodiam, templum ipſum Nicolai, quod in litore cōtra vrbem noſtram ſitum pro arce erat, nobis ereptum eſt: denique omnia vrbi circuniecta amiſimus. Hoſtis mari potitur, nauigatio apud nos conquieuit: importandorū, commeatuū (quorū inopia vehementer laboramus) facultas omnis nobis ſublata eſt: quin etiam neceſſariò coacti, pacem petere, eam impetrare non potuimus, niſi eiuſmodi, vt ei omnes labores, atque omnia belli diſcrimina præponenda exiſtimaremus. Se enim haud dubiè pro victoribus, nos pro victis hoſtes habent: inſolentiores facti ob recen-

tiorem

tiorem cladem, nobis mari illatam, certam ſibi victoriam deſpondent, etſi loci natura pateretur, vt liberè cum claſſe circumuehi per ea loca poſſēt, in quibus vrbs noſtra cita eſt, iam ipſam claſſem in oculis noſtris vrbem ipſam oppugnātem haberemus. Sed ſtatus maris æſtus ab eorū vi nos deffendit: nam ſimulac vnda in altum receſſit, deſtitutæ naues in profundo tenaciſsimo carinas defigunt, nec niſi accedente æſtu emoueri poſſunt: nec eſt riuus, vno duntaxat excepto, qui mediam vrbem interſecat, quod refluente gurgite, nauium patiens ſit. Potes igitur facilè exiſtimare quonam animo eſſe debeamus, tot malis circūuenti, tot calamitatibus oppreſſi. Tu vnus nobis (ſi modò quid ſperare poſſumus, in tantis ærūnis, & periculis poſiti) ſpes vnica ſuperes, in te omnis ſalu-

tis noſtræ cogitatio eſt coniecta: te vnum reſpicimus, tuam opem expectamus, omnes cõfidimus ne nos ſocios, atq; amicos deſerturus ſis. Vna verò eſt ratio, vel propulſandæ, vel leuandæ calamitatis noſtræ, quam tu ipſe non ignoras. Habes equitatum cum delectibus, quos in hoſtilem agrum mittas. Fortaſſe enim cum Genuenſes viderint, ſua vaſtari, aut in periculo eſſe, claſſem, aut certè magnam partem eius ad tuendas res domi reuocabunt. Sic olim Romanus metu domi Carthaginenſibus iniecto Hamilcarem prius è Sicilia, ſic poſteà Hannibalem filium Italiam vexantem, traiecto in Africam exercitu, depulit. Quod conſilium plures poſtea ſecuti, rebus ſuis publicis ſalutem pepererunt. Hoc idem, vt ipſe agas, per amicitiam, per fœdus noſtrum, per humanitatem tuam te

oramus

oramus, atque obteſtamur. Non eſt à te committendum, vt per negligentiam tuam pereamus. Nanque vt tibi ſummæ gloriæ fuerit, ſocios, & amicos à te adiutos, & cõſeruatos fuiſſe, ſic tibi profectò haud mediocri oneri dabitur, ſi nos in extremo periculo deſtitueris. Ad ea Bernabos: Veſtrę me calamitates, Veneti, quãdo nullum inter nos vinculũ intercederet, mouere ſatis poſſent, ne vobis in tantis laboribus, ac diſcriminibus deeſſem: ſed cum ſit inter nos non modò amicitia, verùm etiam ſocietas æquo iure conſtituta, cauſam veſtram non tueri non poſſum, niſi deſertæ ſocietatis crimen ſubire velim, à quo quidem conſilio lõge abſum. Neque enim me aut labor, aut magnitudo ſumptus, aut periculi ſuſceptio deterrebit, quominus ea præſtem, quæ ipſo ſocietatis iure præſtare

re debeo, neque cõmittam, vt fidem meam in extremis rebus veſtris deſideretis. Itaque bono animo eſtote, atque omiſſo metu, hoſtium conatibus fortiter obuiam ite: neque ſæuiẽti fortunę cedite, quę ſæpe victos victores fecit. Neque enim eadem eſt ſemper, neque vni vſque fauens, ſed varia, atque inſtabilis res humanas pro libidine agens, ac verſans. Cuius rei multa exẽpla afferre poſſem, niſi id ſuperfluum putarem, præſertim apud vos, quibus hæc nota ſunt. Ego quod ad rem attinet, vt primùm potero, copias cõtraham, atque in hoſtilem agrum, vt petitis, dimittam, atque experiar, an ea ratione hoſtilis claſſis ab obſidione veſtra (quod fore ſpero) diuerti, diſtrahique poſſit. Poſthæc Bernabos ad tria millia equitum conduxit, quibus præerat Hactorgius Manfredus, Fauentinus

Princ

Princeps: erat autem hic equitatus ex variis, ac notiſſimis totius Italiæ latronibus comparatus, omni Italiæ propter rapinas longe inuiſus, ac gra uis. Siquidem per pacatam Italiam vagus, nullam vrbem, nullam prouinciam, nullam denique gentem, ni ſi quæ pacem ſuam auro redemiſſet, quietam eſſe patiebatur. Nanque ea tempeſtate equeſtres artes, (quæ longa pace, atque ocio conſenuerant) per Germanos in Italiam relatę, refloreſcere cęperant. Cęterùm ij pauci Italici ab initio latronum magis, quàm equitum modo, paſſim rapto victitabant. Antè enim, aut per Germanos equites, aut per populos inter ſeſe armorum tractandorum rudes, ſine diſciplina, ſine ordine, ſine armis, aut iis quidem inconditis (quę ſequens ętas plurima inuenit, aut ita expoliuit, vt aut membris aptiora,

aut

aut aſpectu pulchriora fieri non poſſint)bella gerebant. Is verò equitatus in Ligures ſubitò profectus, Apẽnini iugo in ſuburbanum deſcendit, atque ad Albarium promontorium trans Biſannem fluuium,excurſionibus factis caſtra poſuit:cuius repentino aduentu conterriti agreſtes, ſeſe ſubito cum coniugibus, ac liberis in montana receperũt. At ciues quanquam primo aduentu in vrbe trepidatum,delecto raptim in agris habito,armataque inſuper vrbana iuuentute,aduerſus hoſtes prodire conſtituerunt.Quod vbi hoſtes ſenſere,illico abeundi conſiliũ capiunt. Qua re cognita,Genuenſes,diſpoſitis paſſim inſidiis, occupatisque ſaltibus, per quos illis euadendum erat,ſubita eruptione facta,hoſtes vndique inuadunt,qui ſenſim cedentes, ſeſe primo congreſſu tutati: poſtquam ſal-

 tus,

tus,per quos venerant, obſeſſos cognouere,deſperata ſalute, in fugam verſi,locorum ignari,paſsim cędun-tur: pauci viui in hoſtiũ poteſtatem peruenerunt. Hactorgius verò mutato habitu in medio prælij ardore hoſtium manu elapſus viuus effugit: ſigna duo militaria, alterum Bernabouis, alterũ Venetorũ, ab Iſnardo Goarco, cuius ductu hæc geſta ſunt, in vrbem reportata. Ob rem bene geſtã ſupplicatio ſuperis habita eſt: decretumq́ue ab ſenatu,vti quotannis conſequentibus ad Georgij fanũ ſupplicatio haberetur.Intereà Petrus Adriaticum mare claſſe circunuectus, omnia hoſtibus infeſta faciebat,nec quicquã ad eos omninò importari ſinebat. Sed nihil erat obſeſſis durius, quàm famis impendentis metus. Nam etſi angebantur, nauigandi, negociandiq́ue poteſtatẽ ſibi

ereptam eſſe, vnde in bellū ſumptus ſuppeditari poſſent, tamē eos magis mouebat annonæ ratio, ex qua tantam multitudinē alerent. Per id temporis Manuel Caloiani filius, Græcorú Imperator à patre conſtitutus, (vt diximus) qui ſocietate Venetis iunctus erat, magnis delectibus habitis, Peram nobilem Genuenſium coloniam Bizātio proximam, terra, mariq; obſidere aggreſſus eſt. Quod vbi Genuam renuntiatum eſt, Nicolaum Marcum cum triremibus tribus celeriter inſtructis, eò confeſtim miſerunt. Cæterùm prius quàm Peram perueniret, Græci, quid poſſent, fruſtrà experti, iam inde caſtra mouerant. Sed cùm certior factus eſſet, onerarias quaſdam frumento onuſtas in curſu eſſe, Bizantium petituras, triremem vnam confeſtim iis obuiam miſit. Quod poſtquam Im-

peratori renuntiatum eſt, è veſtigio triremem vnam, ac birremes duas, quas fortè paratas in portu habebat, frumẽtariis nauibus ſubſidio miſit. Quo cognito Nicolaus cum trireme altera (nam relinquam aliò miſerat) ac biremibus duabus raptim inter ſextam horam deductis, inſtructiſque iuuentute certatim nomen in claſſem dãte aduerſum profectus, eáſque naues nactus haud procul à Calonisio promõtorio inuaſit. Pugnatum eſt acriter aliquandiu, neutra in parte variante fortuna, multis vtrinq; ſauciis. Ad poſtremum Genuenſes maiore vi cõnexi, conſcenſis hoſtium nauibus, multiſque cæſis ac duabus nauibus victoria potiti ſunt. Magnã verò ex eo prælio Nicolaus laudẽ omnium cõſenſu promeruit, qui quò alacriores cæteros redderet, primus omnium hoſtilem nauem

tranſcendit, Quæ euaſere hoſtium naues, ſublatis in altum velis ſeſe in propinqua loca recepere: quæ verò captæ, Peram perductæ fuerunt. Per eos fermè dies Genuēſes, qui Clodiæ præſidio erant, vnà cum Franciſco Carraria Cauarcerem, ad Laurentum Venetorum caſtella, haud procul à Clodia vi cæperunt. Cùm autem audiſſent Veneti, Genuēſes circa Clodiæ cuſtodiam, (vt fit in rebus ſecundis) negligētiores eſſe, multoſq; de prçſidio frumētariis nauibus obuiam cum claſſis parte emiſſos, recuperandi oppidi opportunitatem ſibi datam rati, cum pluribus lembis raptim armatis nocte intempeſta Clodiam petunt. Cumque iam nonnulli eorum clam hoſtibus mænia ſuperaſſent, armorū ſtrepitu proditi, concurſu ab hoſtibus facto, extemplò deiecti ſunt, amiſſiſque cōpluribus

lembis,

lembis,atque obrutis effuſa fuga per ſtagna,quà venerãt,Venetias reuerterunt. Reuerſa Clodiam claſſe cum annona,quædam Sauonenſium triremis, vſque ad Georgij templum (quod mari circunſitum,haud plus qingentis paſſibus Venetiis abeſt) temerè progreſſa, cùm recedente æſtu in ſicco deſtituta eſſet, à lembis pluribus hoſtium circunuenta capitur. Per id tempus nauis quædam oneraria ingens, cuius vector erat Nicolaus Becchignonus, dũ plena mercibus Peram verſus contẽdens,apud Rhodum ad ancoram ſtaret, atque omnes venti, auræque cecidiſſent, appulſis ad eam cũ triremibus minoribus nauibus ab hoſtibus capta eſt. Magna ex ea prędа hoſtibus fuit, ſed à quibuſdam Venetis ſic accepi, omnes propè qui eius prædæ participes fuerunt, aut crudeliter vitam

finiſſe, aut ad ſummam inopiam redactos eſſe: ipſi quoque Carolo claſſis duci pecuniã in funeris ſumptum defuiſſe. Intereà Veneti cùm Clodiani portus fauces incurioſius cuſtodiri ab hoſte cognouiſſent, omnia priuſquam perirent, experiri ſtatuentes, claſſem rurſus intra naualia muro circummunita quàm occultiſſimè compararunt, eo conſilio, vt ſi res ex ſententia non ſuccederet, tranſlatis in naues coniugibus, ac liberis cum iis, quibus poſſent facultatibus, relicta vrbe, in Cretã commigrarent: ibiq; ſedes ſuas conderẽt. Id enim ſatius eſſe ducebant, quàm expectare, vt fame oppreſſi, ludibrio hoſtibus futuri, in eorũ poteſtatem, dominatumq́ue deuenirent. Tres & triginta triremes hæ fuere, iis additæ actuariæ traiiciendarũ machinarum cauſa, ac duæ inſuper onerariæ, quibus

bus ſi dij fauerent, portus fauces obtruderẽt. Ea verò claſſis vrbanis copiis plurimum inſtructa eſt (nanque externorum militum, ac remigum aut nulla aut exigua copia erat) publico verò impendio, an priuato armatæ fuerint, in annalibus noſtris nõ reperio. Ego autem ita audiuiſſe me commemini, è grauiſſimo eius ciuitatis viro, cùm pecunia Venetis in claſſem defficeret, neq; ex ærario, quod proferretur, reſtaret, multis iam pridẽ, ac variis belli ſumptibus vacuefacto, acceſſiſſe in curiam ad patres longè anxios, quoſdam plebei ordinis viros locupletes, & amantes Reip. magnamq́ue vim auri contuliſſe, lætos ob id Patres melius ſperare de Rep. cæpiſſe: eoſq́ue collaudatos, accepta pecunia, in Senatorium ordinem adſciuiſſe, ac per hunc maximè modum fiſci inopiæ ſubuen-

tum eſſe. Parata, atque inſtructa claſſe, Andreas Contarenus ea tempeſtate Venetorum Dux, rerum maritimarum ſciētia præclarus, cum magna ſenatus parte, ac nobilitatis flore noctu Clodiam petiit: fuit autem adeò repētina eius nauigatio, vt antè Clodiæ portū prius cōſtiterit, quàm de illius aduentu quicquā ad hoſtes permanarit, nihil minus, quàm tale aliquid, metuentes. Erant autem in ipſo Clodiæ portu vnde triginta Genuenſes roſtratæ, reliqua claſſe per Adriaticum excurrente, quæ ſubitò ad proſpectū hoſtiū conuocatis naualibus copiis aduerſus hoſtes magno impetu è portu produxerunt. Quod vt Veneti conſpexere, quandoquidem pugna propter propinquitatem detractari non poterat, proras & ipſi in hoſtes conuerterunt. Pugnatū eſt aliquandiu æquo Marte:

te:nā Venetis onerariæ magno vſui erāt: ſi qua enim triremis vehementius vrgebatur, ſub onerariam protinus, tanquam ſub arcem aliquam ſe ſe recipiebat: atq; ita vi hoſtium declinata, in ſequentem fruſtrabatur. Quod poſtquam Petrus conſpicatus eſt, ſingulos cohortari, ſegnius prælianteſ increpare, alios monere, alios ignominiæ metu, alios gloriæ cupiditate excitare cæpit: turpe eſſe vociferās veteranos à tironibus virtute ſuperari. Nec minus Andreas ſuos hortabatur, illum diem eſſe dictitans perpetuæ aut libertatis, aut ſeruitutis. Meminiſſe eos iubebat vxorum, liberorum, parētum, patriæ, eaque, niſi vincerent, ſalua eſſe non poſſe. Iis, atque huiuſmodi vocibus incitati Veneti, quaſi ſtimulis additis aliquanto diutius vim hoſtium tulerunt. Ingens verò certamen circa

onerarias fuit: è quibus Veneti telà mittentes, multos vulnerabant, quibus conſcenſis, & captis, & cũ his aliquot roſtratis arrepta protinus fuga verſus Venetias reliqua claſſis contendit. Quam hoſtes aliquãtum inſecuti, cùm aſſequi non poſſent, pręſenti victoria contenti, Clodiam reuerſi ſunt. Secundum hanc pugnam Genuenſes quaſi nihil negocij ad victoriam reſtaret, rati hoſtes Venetias abiiſſe in lætitiam profuſi, Clodiani portus cuſtodiam neglexere: quæ quidem res iis ingentem calamitatẽ mox attulit, fortuna res immutare cupiente. Cæterùm Veneti, poſtquam è claſſis hoſtiũ conſpectu abiere, cõſtiterunt, arbitrati id, quod euenit, hoſtibus ob victoriã obmiſſo metu, negligentioribus factis, portus fauces, immerſis nauibus, obtrudi poſſe. Fauit eorum conſilio fortuna.

nam,

nam fortè ex onerariis, quas in prælio captas Genuenſes incenderant, carinæ ſuperfuerant. Quod vt Veneti per ſpeculatoriam nauim præmiſſam comperere, eò profecti, lapidibus repletas, atque aliam item nauim è ſuis in id præparatam ante ipſius portus fauces remulco vectas in profundo deſtituerunt, reliquis quoque aditibus, ne quà exire claſſis poſſet, celeriter præcluſis. Ea verò negligentia Genuenſium fuit, vt antè ab hoſtibus hæc facta fuerint quàm quicquã de eorum reditu cognorint, tum Veneti metu ſoluti, clamore ſublato, ſe adeſſe plane confeſſi ſunt. Quo excitati propinquiores (nanque oppidum aliquanto ſpatio ab ingreſſu portus aberat) ad arma conclamant, conſcenſaque repente claſſe aduerſus ire properabant, nec antè dolos ſenſere, quàm in ipſas na-

ues obrutas inciderunt, fruſtraque exire conantes, demum ſeſe erraſſe cognouerunt. Sed ſera venit pœnitentia, cùm ea iam nihil prodeſſet. Suaſerat enim ſępius Franciſcus Carraria, vir ſingulari prudentia, vti Clodia fidei ſuæ commiſſa, ipſe Venetias obſidere pergeret, atque in eo vno omnia eius ſtudia reponeret. Verùm quoniam Franciſci aliquantum ſuſpecta fides erat, ne eam in poteſtate ſua traditam imperij ſui faceret, eius conſilium repudiatum eſt. Cùm hic eſſet in Adriatico mari rerum ſtatus, Genuenſes tãtæ calamitatis acceptæ adhuc ignari, quo vehementius hoſtes vrgerent, territíſque inſtarent, roſtratas tredecim claſſi addendas curauerant, iiſque Matthæum Marruſum præfecerant: quibus inſtructis iuſſus eſt, ad Petrum celeriter nauigare, ac de illius imperio bellum gere-

re. Is verò in curſu acceptę cladis certior factus, nihilominus cępta nauigatione non abſtitit: vt ſi quam poſſet, incluſis opem ferret. Petrus autem cùm animaduerteret nullũ iam amplius claſſis vſum eſſe, quoniam inde nulla arte euadi poſſet: quod vnum poterat traductis in terrã naualibus copiis, crebras excurſiones in proximos hoſtium fines faciebat. Cùm autem ad Brondolum caſtellum oppugnandum trahentibus fatis aliquãdo profectus eſſet, tormento ictus repentè occubuit. Cuius morte Genuenſes quanquam conſternati, non tamen prius pugnare deſinunt, quàm caſtellum in eorum poteſtatem peruenit. Per hunc modum duo prępſtãtes viri è gẽte Auria eo bello perierunt. Poſtquàm verò Genuã renũtiatum eſt, claſſem Clodiano portu omni ſpe exitus ſublata

lata incluſam eſſe: vniuerſam ciuitatẽ ingẽs mæror,ac ſolicitudo peruaſit. Speratam victoriam fortunæ malignitate è manibus ereptam dolebant,atque angebantur: nec quonam modo alteram claſſem ſufficerent, propter exhauſtas publicè, priuatimq́ue facultates, ſatis ſciebant. Mouebat etiam præfecti mors, relictuſq́ue ſine Duce exercitus. Præterea ſuorum obſidio, atque calamitas ante oculos proponebatur. Sibi nanque perſuadebant(id quod paulo pòſt contigit) tantam opportunitatem tantóſque ſucceſſus non omiſſuros hoſtes, breuiq́ue fore, vt terra non minus,quàm mari clauſos circunſiderent. In primis autem de præfecto eligendo, quoniã tempus excellentem quempiam virum poſtulare videbatur:conſultandum viſum eſt. Cúmque de Gaſparis Spinulæ

virtute

virtute ingens eſſet opinio , magno patrum , ac plebis conſenſu creatus eſt. Et quoniam mari tutò traiicere non poterat, Venetis poſt clauſam portu claſſem ſuperi maris imperiũ abſque controuerſia obtinentibus: nec Matthæi abſentis , quem tredecim roſtratarũ diximus ducem, poteſtas erat, terra profectus eſt. At Veneti, recepta maris poſſeſſione, quã iam triennio ferè amiſerant, ſublatis maiorem in modum animis, de obſidenda Clodia cogitare cæperunt. Cũ autem propter ærarij tenuitatem nõ eſſet, vnde militem conducerent, certatim ciues pro ſe quiſque aurum in ſumptum contulere. Nec matronæ quidem ſeſe à viris hac laude ſuperari paſſæ ſunt, auro, gemmis, atque ornamentis omnibus in mediũ prolatis. Per hunc maximè modum cõparato exercitu, Brondulum profecti,

cti,nauales copias, quæ cum roſtratis ſecus litus adſtabant, magna ex parte in litus expoſuerunt. Brondulum olim exiguum oppidum, nunc turris tantùm: ad cuſtodiam portus eiuſdem nominis, templum, quod vnum in eo pro muro erat, Genuenſes in arcis modum communiuerãt, quibus hoc maior oppidi eius cura inceſſerat, quòd inde commeatus ad ſe quandoque vehebantur. Cuius rei Veneti haud ignari, inter ipſum Brondulum,& oppidum Clodiam, quod inde ad quinamilia paſſuum aberat, caſtra fecerant. Nec iam ſpes vlla rei frumentariæ Genuenſibus, præterquam in vno Franciſco Carraria relicta erat. Sed ita inſeſſa erãt ab hoſtibus itinera, vt vix inde aliquid, ídque exiguis per ſtagna lembis ad ſe importari poſſet. Quo cognito Gaſpar Spinula, qui iam Clodiam perue-

peruenerat, cum magna Genuenſiũ manu, ne locus ita opportunus in hoſtium poteſtatem deueniret, ponte ob id facto, Brondulum petiturus, in litus traiecit: cumque aliquantum progreſſus, hoſtes aduerſus ſe aduentare accepiſſet, his paucis, ad confirmandos ſuorum animos vſus eſt:

Ni mihi virtus veſtra nota eſſet, vererer certe, ne hodiernus dies, quem nobis fortunæ inuidia, non hoſtis intulit, calamitatem augeret. Cætera præclara veſtra facinora ante acceptam cladem, victoriam ſperare me iubẽt. Videtis vt paucis agam, neceſſario cũ hoſtibus dimicandũ eſſe, qui quamuis numero nos excedãt, tamẽ haud metuendos cenſeo. Neque enim numero, ſed militum virtute exercitus æſtimari ſolet. Magnã perſæpe multitudinem (quod & vos aliquando feciſtis) parua virorum ſuperauit manus.

nus. Si ſolitam animis virtutem retinueritis, nihil dubito, quin hodierno die acceptam negligẽtia noſtra ignominiam abolituri ſimus. Quoniam verò non tam proſpera nobis laudi, ſi vincimus, quàm aduerſa, ſi vincamur, vitio dari conſuerunt, idcirco vobis enixius laborandum, & cõtendendum puto, ne (quod dij auertant) calamitatem calamitate cumulemus. Prætereà quò plura antehac & maiora geſſiſtis, eò magis conandum vobis fuerit, vt partam armis gloriam, armis tueamini. Nec verò vos deterreat fortunæ immutatio. Iam enim longo vitæ vſu ſatis cognitũ habemus, quàm ſit, in bello præſertim, varia, atque inconſtans: quippe quæ victum fugatúmque exercitum, vno nonnunquam, atque eodẽ die victorem fecerit. Sed certè hæc ipſa fortuna, quæ vulgò rebus humanis

nis dominari creditur, in viros fortes nullam vim habet: Animus modò ne deſit, nihil eſt, quod fortunam perhorreſcas. Hæc vbi dicta, aciem inſtruit, hoſtibus occurſurus, qui mox vt apparuere, concurſum eſt: Genuenſis quidem iuuentutis robore, Venetus peditatus melior erat: ſic quodammodo æquata pugna videbatur. Pugnatum eſt ſumma vi vtrinque, atque acriter ad multam diem. Ad poſtremum Genuenſes vrgente peditatu cùm vim diutius ferre non poſſent, multis deſideratis, ac ſauciis, in fugã coniecti, ſeſe Clodiam effuſo curſu receperunt. Pons erat, de quo diximus, Clodiæ à Genuenſibus factus, quo litus iungebatur, vt eſſet in oppidum, ſi qua vis premeret, tranſitus expeditior; qui cùm inſiſtentium, feſtinantiúmque

pondere, omnibus primùm tranſire contendentibus, ſuccubuiſſet, qui in eo erant armati, in quibus Thomas Goanus vir fortis, in aquam prolapſi, armorum grauitate prope omnes enecti ſunt. At Veneti fuſis, fugatíſque hoſtibus ad Brunduli obſidionem conuerſi ſunt. Quod vbi animaduertere, qui præſidio erant, animis fracti, vrgente fame inſuper, deditionem fecerunt. Poſt hæc Veneti terra ſimul, & mari Clodiam obſidere perrexerunt. Quibus cladibus alia ſuper aliam Genuam renunciatis, mæror ac ſolicitudo ingens Genuenſes cœpit. Neque enim omnia diſpicientibus, ſuccurrebat quicquam, quo circunſeſſis auxilium terre ſubitò ſe poſſe cònfiderent. Nam nec terra exercitum habebant, quem Venetorum exerci-

tui opponerent,& mari tam exigua claſſe (vt pote roſtratarum, haud amplius tredecim: cuius ducẽ Matthæũ Matrufum diximus) leuari ſuos obſidione non poſſe ſat ſciebant. Nanque Matthæus Venetę claſſis metu procul à Clodia claſſem agebat, Gaſpar Spinula poſt amiſſum Brundulum in eam recepto, multaque detrimenta hoſtibus Clodiana obſidione occupatis eorum nauibus oppidíſque maritimis inferebat. Iis affecti curis Genuenſes, quò ſe verterẽt, quídve agerent, in tam trepidis rebus incerti erant. Sed poſtquam ſeſe collegere, claſſem augendam, vnicũ tantis malis remedium cenſuerunt. Cùm autem timerent, ne Bernabouis exercitus per Porciferam vallem ſuburbana popularetur: ingẽs quoddam ædificium Bolſaneti ſitum, qui-

na millia paſſuũ procul ab vrbe, quo in loco vallis fauces coarctãtur, publica redemptum pecunia,& in arcis modum extructum, valido præſidio firmarunt. At Matthæus Marruſus (de quo modò mentionem fecimus) ab initio ſui aduentus (ne præclara facta eius omittantur) cùm ad oppidum Manfredoniam, quod veteres Sipontum appellabant, ſex Venetorũ roſtratas, ac duodecim onerarias frumenti gratia eò profectas, nactus eſſet, continuò portum ingreſſus, eas haud trepidè inuaſit. Erat earũ præfectus Thadæus Iuſtinianus, qui vt venientem claſſem proſpexit, quam proximè potuit, oppido admouit. Nec ob id tamen ab eorum oppugnatione Matthæus abſtinuit. Atrox certamen erat, Venetis non tantùm de nauibus, ſed etiã de terra pugnantibus,

tibus. Et quoniam claſſis, quamuis iniectis ferreis vncis, ab litore diſtrahi nulla vi poterat: eam iniecto igni deleuit, in eo pręlio Thadæus captus Genuam perductus eſt. Poſthęc cùm Matthæus Clodiã verſus nauigaret, vt ſi quà poſſet, obſeſſis ſubueniret, cùm fortè in portum, quem Beſtiam appellant, acceſſiſſet, Venetorũ triremes prope quadraginta improuiſò ſuperuenere, quibus haud procul à portu proſpectis, conuocatis properè per tubicinem naualibus copiis, quæ in terram deſcenderant, ad portus fauces, ne ab hoſte exitu intercluderentur, quanta potuit celeritate contendit, ſibiq; per medias hoſtiũ naues iam ingredi inceptantes, via vi facta, periculum effugit. Sunt verò qui aſſerant Venetę claſſis Ducem, ſagitta ictum in eo prælio

cecidiſſe. Quibus rebus cognitis, Genuenſes, Ianiſium de mari cum triremibus quinq; in Adriaticum traiicere iuſſerunt, ac ſe cum Matthæo coniungere, cæterùm ea prona nauiũ acceſſio, nihil obſeſſos adiuuit: neque enim hoſtibus claſſe potẽtioribus, aut commeatu, aut omnino ope vlla iis ſubuenire potuit. Per id temporis non exigua equitũ cohors à Bernaboue ad populãdos Genuenſium agros miſſa, cùm ad Appennini iugum, quod Porciferę valli imminet, profecta eſſet, agreſtiũ metu vlterius progredi non auſa, eodem quo venerat die, ſignis repente conuulſis, in Galliam, vnde venerat, reuerſa eſt. Quos fugientes Genuenſes aſſecuti, pluribus cęſis nonnullos extremi agminis ſeruis abeũtes cepere. Dum hæc apud Genuam geruntur,
qui

qui Clodię obſidebãtur, rerũ omniũ penuria fatigati (iam enim ſextus obſidionis menſis agebatur) in dies magis magiſq; laborabant. Nanque poſt cladem apud Brundulum acceptam, ita vndequaque obſeſſi fuerant, vt neque terra à Franciſco Carraria, neque mari à claſſe, ſeu vi, ſeu dolo commeatu vllo iuuari potuerunt. Itaque cum iam extrema fame conficerentur, conſumptiſq; omnibus humanis alimentis, etiam fœdis victu animalibus vitam producerẽt, nec vlla iis omnino ſpes reliqua euadendi eſſet, ſeſe hoſtium arbitrio, ac poteſtati permiſere. Quos illi victos Venetias in cuſtodiam miſerũt. Ac ne quod tantæ cladi ludibrium deeſſet, captiuis omnibus Italica lingua caprá proferre iuſſis, qui inter duas literas priores literam r, pronuntia-

fecerunt. Cæterùm Genuēſes,etſi in obſidione Clodiana magnā hominum vim amiſerant,& qui capti erāt durante bello, nequaquam dimittebantur,vt illos taceam qui minus ſecundis rebus interierant: tamen ne tam virtute, quàm fortuna ſuperati viderētur, rurſum ad res maritimas cōuerſis ſtudiis triremium tredecim claſſem celeriter ædificarunt: omnibuſque ad bellum neceſſariis ornatam,nullo certo Duce deſignato,ſed vt ſinguli triremium ductores certis diebus per vices imperarēt,in Adriaticum proficiſci, ſéque cum reliqua claſſe coniungere iuſſerunt. Veneti enim per id tempus, iis modò recipiendis, quæ terra amiſerant, occupati (præſertim cum Genuēſes nihil amplius mari molituros ſuſpicarentur) maritimarum rerum curam non

nihil remiſerant, eaque ſolùm claſſe vtebantur, quam ad compeſcendos Matthæi conatus ſatis eſſe exiſtimabant. Hac itaque claſſe in Illyricum profecta, & cum priore claſſe cõiuncta, Veneti de eius aduentu certiores facti, rurſum in graues maritimi belli curas inciderunt. Nanque Adriaticum circunuecta, nõ oppida modò, & agros mari vicinos, hoſtibus infeſtos faciebat, ſed nauigandi quoque poteſtatẽ denuò iis ſuſtulerat. Cùm hic eſſet in mari ſupero rerum ſtatus, Nicolaus Goarcus, qui Princeps Genuenſem Rempu. obtinebat, ſuſpicatus Antoniotum Adurnum contrariæ factionis hominem, aduerſus ſe quippiam moliri, vocatum ad ſe ſub honoris ſpecie, hoc eſt cõducendorum militum gratia, mittere in Tuſciam velle ſimulabat, ea ratione

exiſtim

exiſtimãs, aut illi manum iniici, aut certè eum vrbe expelli poſſe. Cæterùm Antoniotus ſiue conſcientia permotus, ſiue quòd ſuſpectam haberet Nicolai fidem, edicto non paruit, ſed ex vrbe clanculum ſe proripuit. Nec defuere, qui Nicolai iuſſu domus ſuæ latebras perſcrutarētur, vt ſicubi lateret, inuētum ad ſe protraherent. Haud multo pòſt Petrus Fregoſus patria exul, vt antè diximus, nunquã enim, nec in bello quidem, ea ciuitas inteſtino morbo caruit, è Gallia ciſalpina inter Clauarũ, & Sigeſtrũ grandi cum pecunia profectus eſt, qua ad ſolicitandos agreſtium animos à Bernaboue adiutus fuerat: fauebat ei Simon de turri, homo inter ruſticanos gratioſus, ac potens: cuius amicitiam ſibi auro conciliarat, quo fautore, atque amico

fretus Nicolai ſtatum vexabat. Ea re cognita, Nicolaus de Senatus cóſenſu, ne contagio latius ſerperet, Iſnardum fratrem delectibus habitis, qui illius cónatibus obuiam iret, confeſtim cum imperio Clauarum miſit. Ea quoque tempeſtate cùm pecunia in belli ſumptum Genuenſibus deeſſet, nec ferè amplius è publico, priuatoq́ue trahi bellum poſſe videretur, Senatus, ac populus ſciuit, vti omnes Genuenſes, qui per ætatem ferre arma poſſent, in tres partes diuiderentur, atque vt tertia quæque pars viciſſim, pro ſupplemẽto in claſſem mitteretur. Hoc edicto propoſito (tantum erat hoſtium odium) Iuuentus omnis certatim nomen in claſſem dedit, eodem tamen Senatus conſulto permiſſum, vt ſi quis, aut per eius negotia, aut per malam valetud

letudinem, aut aliam quampiam iuſtam cauſam nauigare non poſſet, dato vicario, vel militis ſtipēdio, eſſet ei militię vacatio. Quarto autem, qui fuit extremus huius belli, anno Nicolaus, quem modò memorauimus, propter res domi ſuſpectas, Gaſparem Spinulam, qui vnà cum Matthæo Marrufo in Adriatico aduerſus hoſtes fortiter rem geſſerat, cum parte claſſis reuocauit. Iſq; profectus, cùm Clauarum perueniſſet, naualibus copiis, vt imperatum eſt, in terra expoſitis, ſeſe cum Iſnardo coniunxit, aduerſus Petrum Fregoſum bellum geſturus. Cuius aduentum ſimulatque Petrus agnouit, arrepta protinus fuga, Apenninum tranſgreſſus, ſeſe in Galliam recepit, Gaſpar verò Genuam reuerſus, omnium, quæ egiſſet, in Senatu ratióne reddita,

reddita, multas ſanctorũ martyrum reliquias claſſe à ſe reportatas ex hoſtibus docuit. Quæ cùm ſumma veneratione, vt par erat, ſuſceptæ, templis quibuſdã religione inclitis, conditæ ſunt, quas enumerare, nec nominum aſperitas patitur, nec vllum operæpretium puto. Rebus domi cõpoſitis, Genuenſes cùm audiſſent, Carolum Zenũ hoſtilis claſſis præfectum, reliquam claſſem, cui Matthæus præerat, quæritare, roſtratas quatuordecim quãprimùm armandas curauerũt: iiſque Iſnardum Nicolai fratrem, impigrum virum præfecere. Qui inſtructis nauibus in ſuperum mare profectus, vt Venetam claſſem in inferum mare profectam agnouit, multa paſſim populatus, nauibuſque aliquot captis, remenſo pelago in inferũ mare rediit, de cuius

ius aduentu Carolus certior factus, quibuſdam viculis ad litus in portu Lunæ ſitis, prius incēſis in ſuperum mare per diuerſa abiit. Quo cognito Iſnardus rurſus in Adriaticum mare delatus, non inuento Carolo hoſtium oras populationibus, atq; incendiis vexando illos denuò, in graues curas adduxit. Hoc modo variāte fortuna, de integro obtigit: Venetos terra, Genuenſes mari potentiores eſſe. Cùm autem irę longius proceſſuræ viderētur, Amatus ſeptimus Sabaudiæ Princeps, cuius erat iā in Italia ingens nomē, vtriuſque populi calamitatibus permotus, ſuadere iis cæpit, vti poſito certamine, ab armis diſcederent. Cuius ſuaſionibus cùm annuiſſent, cōponēdę pacis poteſtate ei tradita, vtriuſq; ciuitatis legati ad ſe profecti ſunt: ad quos hūc

in modũ orationem habuiſſe fertur: Lætor cælitus datum eſſe, legati, vti me autore, atque arbitro diſcordiæ veſtræ ſopiantur. Huncque profectò diem inter fœlices vitę meę dies fauſtosque habeo, ducóque, quo veſtrũ hoc tam conſentiẽs de me iudicium animaduerto, atque illud quoq; gaudeo, quòd mihi pauca pro re dicenda eſſe intelligo. Videre nanque mihi videor, vos tanta voluntate, ac ſtudio ad pacem ferri, tędio belli affectos, vt vos mihi magis collaudãdos quàm incitandos, aut cohortandos exiſtimem. Neç verò enumeraturus ſum hoc loco belli incommoda, calamitates, ærumnas, vt terrore iniecto à belli cupiditate diſtrahamini. Illa enim multis mutuis cladibus veſtris vobis nota ſat ſupérque ſcio. Quot verò, quantáque commoda,

atque emolumēta pax afferat, haud minus quoque ferè in promptu eſt. Hac enim vt paucis agam, omnia humana continentur, conſeruantur, augentur. Hac Reſpub. temperantur, gubernantúrque, nec gubernantur modò, ſed etiam ſtabiliuntur, ac manent. Hac ea quæ mortalibus natura inter mortales conſtituta eſt, ſocietas alitur, confirmatúrque: quin etiã non humana ſolùm, ſed & cæleſtia hoc diuino bono ſuſtentãtur. Nanq; & elementa inter ſe contraria vi ſua copulat, ex qua copulatione omnia procreari ſcimus. Hoc eſt nimirum, quod ſapiens ille ait, quæ in rerũ natura, totóque mundo conſtarent, ea contrahere amicitiam: per diſcordiã verò diſſipari eadẽ omnia. Sed nulla profectò re aut autoritate percipere clarius poſſumus, quantum boni

in ipſa pace inſit, quā ex Chriſti ſummi, ac veri Dei noſtri iudicio. Nanq; ad diſcipulos ingrediens ſemper iis pacem precabatur, cumq́ue in cœlum migraturus eſſet, Pacem meam, inquit, do vobis, vt pote rem omniū optimam, ac præſtantiſſimam, quæ diuinitus contingere mortalibus poſſint. Et alibi pacificos, ait beatos, quoniam filij Dei vocarētur. Quo quid poteſt maius, quid melius, quid excellentius optari? Quantum autem voluptatis in ipſa pace inſit, facilè hinc ſciri poteſt. Sublata enim concordia, nullum eſt bonum, quo frui quiſquam poſſit, nulla res tam grata, quę poſſit eſſe iocunda. Tranquillitate nanque animi remota omnis è vita fructus tollitur. Quis enim non demens ridere, vel iocari, in communi malo, & continuo metu poſſit?

Hanc

Hanc etiam pacem à natura cunctis animalibus ingenitã eſſe perſpicuũ eſt, magíſque id apparet in brutis (quod eſt longè admirabilius) cùm quidem ratione vtentia longè proniora ad pacem, atque concordiam ob rationem vitæ ducem eſſe debuerint: videmus enim inter leones, vrſos, apros, qui natura feroces ſunt, atque alia huiuſmodi animalia concordiam eſſe, atque inter ſe conuenire, atque hoc quidem nemo non videt. Verùm enim vero tanta Imperij gloriæque auaritia rapimur: vt pro iis adipiſcendis naturalis concordiæ, & humanæ ſocietatis obliti, fræno rationis abiecto pręcipites in arma deferamur: quò magis cauendum eſt, ne ab eiuſmodi cupiditatibus nos agi, atque abſtrahi ſinamus. Præterea vobis, vel in primis conſiderandum

puto, quæ commoda, quiq; fructus ex hac ipſa pace conſequentur, ante omnia nauigatio, quæ tam diu mercatoribus veſtris, vel clauſa vel certè periculoſa extitit, ex qua vtraque ciuitas veſtra ali, atque augeri conſueuit, in qua denique Rerumpub. veſtrarum ſtatus continetur. Vobis terra ſimul, & mari tuta erunt vectigalia, quę neruos ciuitatis rectè appellant, in quibus ornamenta fructúſq; Reipu. cõſiſtunt: ex quibus hoc tam diuturno bello nihil vtilitatis, aut certè parum percepiſtis, rurſus Reipu. fructuoſi fient: ærarium quod tot, tã variis, ac tam magnis belli ſumptibus vacuefactum eſt, denuo reſarcietur: vnde pacis ornamentis, ac Reip. neceſſitatibus ſatisfacere poteritis. Agrorum cultura, quæ diu intermiſſa, ac propè deſerta iacuit, poſito belli

metu

metu paſſim exercebitur. Vbertas rei frumentariæ, cæterarumq; frugum, quam bellum ſuſtulerat, conſequetur. Prouinciç veſtrę, quę tot rapinis, tot vaſtationibus, atque incendiis ſqualent, in priſtinum nitorem redigentur. Vrbes atque oppida tot belli caſibus conquaſſata reficientur: quies, atque ſecuritas tanto tempore amiſſa (quæ res nec vos domi ſecuros eſſe, nec externos ad vos tutò cõmeare patiebatur) recuperabitur. Quantum verò exiſtimatis gloriam veſtram apud omnes gentes, ac populos fore, vbi erit auditum, vos poſito certamine paci conſuluiſſe? quod cùm omnes gentes lege naturę facere debeant, ídque teneatur à barbaris à religione noſtra abhorrentibus: certè nos qui Chriſtum, qui verum Deum, pacis, atque concordię facto-

rem colimus, id multò magis pręſta re, atque efficere debemus: nec pati, vt à Barbaris, hac honeſtatis parte ſu peremur. Cùm igitur tantum mali in bello, quantum vos ipſi experti eſtis, tantũque boni, ac iocunditatis in pace ineſſe, quãtum oſtendimus: non ſit dubium quis ſanę mentis bel lo quietis conſilia nõ anteponet. Ad quam quidem rem niſi vos (vt antè dixi) veſtra ſpõte incitatos agnoſcerem, non grauarer vos hortari pluribus. In id autem vos non hortari nõ poſſum, vt de patrię commodis potius vtrique quicquam detrahi, imminuiq́ue patiamini, quàm eas conditiones, vel poſtuletis, vel abnuatis propter quas pax ipſa iure repudietur. Neq; enim Tenedos breuis, atq; inculta inſula tanti eſt, vt pro ipſa vẽdicanda tantum diſcriminis ſubeundum,

dum,

dum, tantũque ſanguinis effundendum fuerit. Mihi verò (vt iam finem dicendi faciam) maxime iocundum erit, ſi me vel autore, vel interprete, vel arbitro, pax ipſa ad exitum optatum producetur. Ad hęc breuiter à legatis reſponſum:

Quę de belli incommodis, ac de pacis commodis à ſe dicta eſſent, ſibi auditu pergrata accidiſſe: ciuibus ſuis pacẽ cordi eſſe: ac modò æquæ conditiones proponerẽtur, eã haud dubiè cõuenturã eſſe, quod vtriuſq; populi concordiam expeteret, id ſe humanitati, ac bonitati eius dare, gratiaſque ex eo agere, nec verò minus eò cupere, vt ipſo autore, ac iudice componeretur, quò eius rei gloria apud eum maneret. Poſt hęc de pacis conditionibus agi cœptum eſt. Vtriſque autem inſulę poſſeſſionem

gloriḝ cauſa pertinaciter depoſcentibus, cùm Comes illorum controuerſiam haud aliter tolli poſſe animaduerteret, niſi inſulæ eius poteſtate vtriſq; adempta, eam liberá, ac neutri partium ſubiectam eſſe iuſſit: eiectíſq; incolis in ſolitudinem redigi: captiuos quoque, è quibus permulti longa inedia Clodiana obſidione macerati, poſtquam exaturari cœperant, cibo diſtenti vitam finierant, ſine pretio reddi, magnam laudem ex ea re apud omnes conſecutus. Quibus conditionibus receptis, quarto demum anno poſt bellum inchoatū, renouata, ac ſancita pax eſt. Quibus omnibus compoſitis Iſnardus Goarcus, quem in Adriaticum reuertiſſe, non inuento Carolo Zeno, diximus, inde reuocatus, cum claſſe Genuam rediit. Facta pace, partium

legati

legati continuò ad ſuos abiere. Cũq; ad Venetos Genuenſes miſiſſent, qui ex arce in Tenedo ſita præſidium educi poſcerent, miſere Veneti vnà cum eo Tenedũ, qui iuberent præfectum cum omni prę́ſidio arce excedere: qui cùm dicto non pareret, eam à Genuenſibus expugnari, ſolóque æquari paſſi ſunt.

SEQUITUR ALIUD PARVI TEMPORIS bellum Venetum.

POſt eam pacem bellum ciuile apud Genuenſes ſubitò exortũ eſt, quod ferè omnibus opulentis ciuitatibus parto domi ocio euenire cõſueuit. Sic Roma poſt euerſam Carthaginem in perniciosas ſeditiones incidit. Sic noſtris temporibus, vel certè patrum noſtrorum memoria, Piſana ciuitas. Sic & Bononia crudeli, ac nefario bello ciuili ſæpe vexata eſt: verum enim verò hoc inteſtinũ bellum literis mandare non eſt propoſitum. Id enim commemorare pudet,

det,pigétque. Quo ſedato bellum inter ſe,ac Venetos deintegrò renatũ eſt:breue illud tamen, vt pote,quod propè antè finitum eſt; quàm inceptum. Inter Clodianum verò & ſuperiora bella, vnum ſupra centum annos interceſſiſſe inuenio. Medio autem tempore Genuenſis Reſp.aut quieta ab hoſte fuit,aut inteſtina ſeditione laborauit. Cæterùm hoc vltimum nec tempore, nec rerum magnitudine illi par fuit. Cauſa autem eius,quantum accepimus, hæc extitit,Mutato ob ciuiles diſcordias Genuenſis Reip.ſtatu:receptóque Gallorum Regis præſidio,cui ſeſe ciuitas ipſa commiſerat: quo ciuilis tumultus ſopiretur, cùm per id tempo ris Ianus Cypriorum Rex, aduerſus fœdus Famaguſtam, magnis delectibus comparatis,petiſſet,Senatus aduerſus

uerſus Regem bellum gerere decre-
uit, præmiſſóque Antonio Grimal-
do cum roſtratis tredecim, qui Re-
gis impetum moraretur, alias naues
armare ſtatuerunt: quibus ædificatis,
inſtructiſque, Ioannes Lemengrus,
qui pro Rege vrbi Genuæ præerat, al
tum conſcendit: proſperamq; tem-
peſtatem nactus in Cyprum perue-
nit. Quod poſtquam Rex accepit,
qui iam antè ob Antonij aduentum
ab oppugnatione Famaguſtæ diſceſ-
ſerat, ob auctam claſſem, & Ducis au
toritatem perterritus, magna vi auri
collata, ſeſe Genuenſium bello libe
rauit. Pace igitur cum Rege facta, re-
buſque ex ſententia compoſitis, Ioã
nes inde digreſſus, vt aliquid ſe di-
gnum moliretur, infeſta claſſe Aegy-
ptum petiit: nam per id tempus, cum
Syriæ Principe Genuẽſibus bellum
erat.

erat. Cæterùm Aegypti oras præteruectus, cùm nihil ibi quietum eſſe ſineret, breui efficit, vt is Genuenſium pacem vltrò expeteret: qua confecta redeundi Genuam conſilium cepit. Per idem verò tempus Veneti triremes vndecim, ac roſtratas duas onerarias mari habebant: cúmque iis Carolum Zenum, cuius virtutem ſuperiori bello experti fuerant: eorũ inſulas atque oppida tueri, ac Genuenſium nauigationem (nam eorum claſſem ſuſpectam habebant) de induſtria obſeruare iuſſerunt. Qui ſimul atque è ſinu Adriatico cum claſſe egreſſus, agnouit Genuenſem claſſem Cyprum verſus contendere, abeuntem illam diſſimulanter ſequi cœpit: nec prius deſtitit, quàm planè comperit, ab ea Cyprum peti. Quo cognito, ad

inſu

inſulam Metonicā (quam Sapientiam vocant) regreſſus cōſtitit. Nec procul inde abiens, Genuenſis claſſis reditum præſtolabatur: quę cùm paulò poſt per eadem loca ſecundo vento deferretur: ex ipſo portu Metonico ſibi obuiam prodiit: vt cuia claſsis eſſet, agnoſceret: quam ſimulac Ioannes (ignarus tamen) quæ nam eſſet: aduerſus ſe aduentantem vidit: in eam proras & ipſe verti, naualéſque turmas confeſtim armari imperauit. Poſtquam verò appropinquari cœptū eſt, vtriſque de more nautico cuia claſsis eſſet, certatim percontantibus, nec nomen prius edere dignantibus, irritatis, ſuccenſiſque ira animis, magno impetu concurſu facto, atrox pugna committi cœpta. Verùm vbi claſſes cohæſere, Genuenſes (ij enim numero

mero

mero inferiores erant, & plurimum morbo languebant) paulatim cedere cœperunt. Maximè verò illis oberant onerariæ triremes: è quibus deſuper omni telorum genere petebantur: cúmque vim diutius ferre non poſſent, tribus onerariis, totidémque roſtratis amiſſis, ſeſe in fugam coniecerunt. Captiui Venetias, qui iuſto bello capti, producti ſunt. Hæc autem iniuria patrum ſimul, ac plebis animos adeò permouit, vt omnes extemplò vna voce ſuſcipiendum bellum aduerſus Venetos, inſtaurandámque claſſem proclamarũt: violati fœderis vltorẽ Deum inuocantes. Per eoſdem fermè dies agreſtes quidam apud Clauarum, armis aduerſus Rempub. ſumptis, tumultum concitauerant. Cęterùm is ſubitò immiſsis eò delectibus cõ-

preſſus

preſſus eſt. Suſceptorum armorum hanc cauſam afferebant: quòd tam grauia tributa pẽſitare non poſſent, nec iuſtam ſanè, nec probabilem. Iis tamen propter imminens bellũ data venia, & tributorum inſuper, omníſque muneris publici vacatio in certum tempus cõceſſa. Viſum verò eſt Genuenſibus, è dignitate Reip. eſſe antequam bellum aduerſus Venetos mouerent, Venetias legatos mittere, qui de pace violata, deq́; accepta iniuria querimoniam deferrent: quærerentq́; publicóne, an priuato conſilio Carolus Zenus id egiſſet, captiuoſque, & rapta poſceret: ac poſtremò ſciſcitaretur, bellúmne, an pacem vellent. Plebiſcita quoque ciuitatis, ſi qua erant duriora, temperata ſunt, eaque in nouos Codices relata. In hoc rerũ ſtatu Facinus Canis cũ

ingenti

ingenti equitatu ac peditatu, quorundam exulũ impulſu in Genuenſium fines eſt profectus. Hunc oppido Caſali natum Ioannes Galeatius Vicecomes, Mediolanenſium Princeps, Philippi pater, ſanè inter primos ſui temporis principes virtute & autoritate numerandus, propter rei militaris ſcientiam admodum dilexit, atque ſuis copiis pręfecit: moriénſque teſtamento Ioannem, ac Philippum Mariã filios adhuc impuberes, eius tutelæ, ac fidei commiſit: ex quo in tantas mox opes creuit, omni Imperij poteſtate in ſe tranſlata: quanquam de illorum nomine cuncta adminiſtraret: quo maior dicto eſſet autoritas, vt iam pro Principe, nõ principum tutor haberetur: mortémque obiens Beatricem ſuam vxorẽ Philippo deſponſarit. Cúmq;

ita Genuenſes eius profectionē haud temere eſſe exiſtimarent, qui Reip. præerāt, cōpluribus ciuibus, qui exules vel amicitia, vel propinquitate cōtingebāt, ne quid noui molirētur, relegati, illius aduentū fruſtrati ſunt. Simulac enim animaduertit nullos motus in vrbe fieri, nec ea conſequi, quæ ſibi exules perſuaſerant, omiſſa expeditione in Galliam rediit: poſt cuius diſceſſum exulibus ipſis venia data, ne quid amplius turbarēt Reip. ſtatū, redire in patriam permiſſum.

Poſtquam Genuenſes legati Venetias peruenerunt, in Senatum introducti, in hunc ferè modum locuti ſunt,

Etſi ipſa iniuria, quā modò Reip. noſtræ nulla iniuria laceſſiti intuliſtis, Veneti, per ſe grauis, atque indigna viſa eſt: tamen hòc grauiorem,

atque

atque indigniorẽ illam exiſtimauimus,quò firmiorem,ac ſolidiorẽ pacem nobis vbique futuram arbitramur: quóque ſinceriore animo ad eam ipſi aduenimus:nã ex quo confecta eſt, nunquam profectò niſi de communi quiete, atque ocio cogitauimus,omnia noſtra cõſilia, omnes curas, actionéſque noſtras ad eam ipſam referentes. Nec ſanè poſt id temporis alicuius nobis culpæ conſcij ſumus,quo nobis iure obiici poſſit aliquid à nobis contra fœdus, aut perpetratum,aut attentatum eſſe. Iuris enim iurãdi haud quaquam obliti,id vnum poſt factam pacem maxime curandum duximus, ne pax ipſa vllo, aut facto aut dicto noſtro violaretur:atq; vt per nos vel ad poſteros incorrupta transferretur. Vos autem,quantum res ipſa docet, lon-

gè ſecus animati eſtis: nam vt omittamus priores iniurias, fortaſſe leuiores, tamen nullo modò tolerabiles, huius vnius indignitatem æquo animo ferre quis poſſit? Claſſem noſtrā quæ in toto illo curſu Cyprico nulla prorſus, niſi pacis, & amicitiæ ſigna dederat, quæ ne nauibus veſtris, nec oppido, nec inſulæ vlli nocuerat: claſſem veſtram vt amicam, & pacatam non reformidantem, ac ſine ſuſpitione vlla haud procul ab ea tranſeuntem, hoſtiliter inuadere, haud veriti eſtis, Superiorum pacis teſtium, ac iuriſiurandi obliti, tribúſque triremibus totidémq; onerariis captis, omnes captiuos, tanquam iure belli capti eſſent, iniurias iniuriis accumulantes, in carcerem fœdè conieciſtis. Quòd ſi acceptæ ſuperioribus bellis calamitates, vos parum mouebāt:

certè

certè rectum, atque honeſtum, quod omnibus rebus humanis anteferri debet, continere vos in officio debuit. Quid nunc dixeritis? aut quam excuſationem affertis? Atqui illud negare & diffiteri non poteſtis, quin illa nobis iniuria conſultò facta ſit. Nam quis aliter credat, qui ſciat, Carolum Zenum, à quo claſſis veſtræ duce eã contumeliam accepimus, ex quo die claſſis noſtra Aegeum mare ingreſſa eſt, eius veſtigia diu diſſimulãter per ſecutum? qui norit illum, redeuntem eandem claſſem, multis in ea febri affectis, prope inermem factam, aucta inſuper à vobis claſſe, adortum eſſe? qui non ignoret, claſſem veſtram è portu Metonico, vbi tutò ſtare poterat, egreſſam aduerſus noſtram, rectà curſum contendiſſe? qui denique cõpertum habeat, claſſem noſtram, ne

in ipſa quidem profectione Cyprica, quo tempore integra, ac valida maiora vobis detrimenta inferre poterat, nulli veſtrorum infeſtam, procul ab Adriatico ſinu Siciliam verſus abeũtem, à claſſe veſtra hoſtiliter circumuentam, atque expugnatam eſſe? Nõ eſt certè vſque adeò exhauſta ſuperioribus bellis noſtra Reſp. quin hãc tam inſignem contumeliam armis, ſi libuiſſet, vlciſci potuerimus. Verũ enimvero prius experiri, quo animo illatas nobis à Carolo Zeno iniurias tuleritis, maluimus, quàm correptis armis, bello contendere: vti apud omnes gentes teſtatum relinquamus, quietis cõſilia bellicis à nobis anteponi. Quanquàm verò eo ingenio nati ſumus, vt Reipu. iniurias perferre nequeamus, quod quidem ſuperioribus bellis experti eſtis:

tamen

tamen hæc vtcunque ſunt, tolerare poſſumus, modò nobis pro accepta cõtumelia ſatisfaciatis. Quapropter ſi pacem noſtram bello præfertis, dã num præſtate, captiuos reddite: alioquin illud ſic habetore, vobis poſthæc nobiſcum, nec pacem, nec amicitiam fore, nóſque omnes fortunas noſtras Reipu. dignitati poſthabituros. Poſtquam legati dicendi finem fecere, Senatus Princeps ita paucis reſpondit:

Nulla à nobis iniuria, legati, Reip. veſtræ facta eſt: quinimo ipſi prius laceſſiti, de accepta iniuria iure conqueri poſſumus. Vos enim in exeuntem è portu claſſem noſtram, vt quænam eſſet ſuperueniens claſſis, amicorúmne an piratarum exploraret, hoſtiliter proras primi conuertiſtis, nec quinam eſſet per inſolentiam ef-

fari voluiſtis:quam quidem claſſem minime dubitare poteratis, cùm è portu noſtro egrederetur,nec de alia claſſe fama eſſet, noſtram eſſe. Nam quod ad Carolum Zenum attinet, cepiſſe eum arma non negamus: ſed non vt afferret, at vt propulſaret iniuriam:quod & æquitas,& iura gentium patiuntur: nec in ea re contra fœderis leges itum eſſe accuſare nos quiſquã poteſt. Quis enim eſt à natura iniuriarũ tam patiens,qui ſi poſſit iniuriam vimq́ue auertere, opprimi ſe malit,quàm illam repellere? Hoc vobis ius gentium, quod eſt naturæ ipſius lex,præſcribit:neque id in hominibus modò videas, verùm etiam in mutis animalibus. Illa enim ſæpe inter ſe pro accepta iniuria certare aſpicimus. Itaque pacem non ipſi fregimus, in quo à vobis incuſamur:
ſed

ſed etiam potius à vobis fractam, ac violatam eſſe affirmare poſſumus. Quòd vobis firmam ac verã pacem nobiſcũ fore exiſtimaritis, recte vos quidem, ac vere: nec in ea re decepti eſtis. Nos quidem ſedulò id egimus, quo pax ipſa perſeueret, ac maneat, nulla inimicitiarum indicia à nobis orta ſunt. Nos enim cùm nobis inferretur iniuria, nõ vim aliquã intulimus, ſed repulimus: nec priores, ſed poſteriores arma ſumpſimus. Quòd Carolus Zenus claſſem veſtram Cyprum petentem ſecutus ſit, id eſſe ab eo factũ poteſt: ſed non eo animo vt vobis noceret, at vt inſulas noſtras, atq; oras maritimas ab iniuria more maiorum tueretur. Quod quidem nobis ſalua pace facere licuit: neque enim noſtra tueri, lege vlla prohibemur. Quod verò ad pacem attinet,

nos quidem niſi per vos ſteterit, pacem volumus: captiuos autem niſi diſceptatione hac prius diſcuſſa, cauſaque cognita, reddituri non ſumus. Hæc cùm dixiſſet, multum vltro citróque de infractione pacis diſputatum eſt. Demum re ſuſpenſa, & in poſterum diem dilata, Senatu dimiſſo legati domum reducti ſunt. Poſtridie dato iis Senatu, nec eo quoque die componi res potuit. Sic in multos dies diſceptatione extracta, ad poſtremum Veneti, calamitates prioribus bellis acceptas, memoria repetẽtes, captiuos reddendos, pacíque cõſulendum eſſe cenſuerunt: quibus redditis pax renouata eſt, & cõfirmata, atq; ita huic bello intra paucos menſes abſque vlla claſſe finis impoſitus eſt.

FINIS.